3

DE SVMMO PONTIFICE CHRISTI IN TERRIS VICARIO, EIVSque officio & poteſtate, Liber verè ſingularis, & eruditionis, & puri ſermonis nomine,

In modum Dialogi cõſcriptus olim, nũq̃ verò antehac editus, Authore REGINALDO POLO Anglo S. R. E. Cardinali Reuerẽdiſs.



...IECA NAZ... ...UMA... ...EMANUELE...

LOVANII,

Apud Ioannem Foulerum Anglum.

M. D. LXIX.

Cum Priuilegio. Subſign. Vander Aa.

3.

MATTH. XVI.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc Petram &c.

Opus hoc elaboratiſſimum, veréque Apoſtolicum De Ro. Pontificis officio, *digniſſimum eſt quod in lucem edatur: vnde Paſtores omnes haud mediocriter ſuum diſcant ſuis quiſque ouibus Chriſti Euangelicum præſtare officium.*

Ita mihi videtur.

Wilhel. Damaſi Lindanus Epiſcopus. S. D. Ec. Ruremundē.

PIO V. PONTIFICI MAXIMO.

QVOD temporibus hiſce triſtiſsimis maximè optā-dum fuit (Beatiſsme Pater) vt perculſa multis in locis & miſerè afflicta Chriſtiani nominis Religio à Sanctiſsimo aliquo Pontifice inſtauraretur: id demū tuæ Sanctitatis precibus & induſtria ita inchoatum videmus, vt magnopere ſperandum ſit, hæreſim, quæ iam nunc nō leuiter impulſa eſt, breui abſque vlla ſpe reſtitutionis in præceps ruituram eſſe. Quod beneficium Deus Eccleſiæ ſuæ, quæ oppugnari ad tempus, expugnari verò nunquam poteſt, noſtra ætate concedat, id nos quoq; par eſt, lachrymis & gemitibus ab ipſius bonitate flagitare. Et quoniā vulnus quod

certa quadam ratione infligitur, non niſi contraria via tolli, & adhibita curatione leuari ſolet: ſemper hoc ſanctis Patribus probatum eſt, vt ſcriptis Hæreticorum, quæ nimium multos infeciſſent, ſcripta etiam Catholica opponerent, quibus aut ijdem illi ad fidē reduci, aut alij, ne à fide exciderent, confirmari poſſent. Ante annos quatuor nactus ſum libellum quendā nobiliſsimi viri & Reuerendiſsimi Cardinalis Poli de ſummo Pontifice & eius officio inſcriptum, quem ab Henrico Piningo eiuſdem Cardinalis domeſtico & ſtudioſiſsimo ſeruitore accepi. Qui liber cùm à doctiſsimis Theologis perlectus, ijſdem, tùm pro diſertiſsimi auctoris ingenio & eruditione, tùm pro ipſius rei grauitate valde placuiſſet, ideoq; vt eum in lucem quàm primùm ederem, ſuaderent: ipſa inſcriptio huc me adegit, vt eum Tuæ Sanctitati neceſſariò dedicarem. Cui

enim

enim liber de Summo Pontifice ſcriptus, præterquam Summo Pontifici, non dico dedicandus, ſed planè reddendus eſt? Nam, etiamſi ego tacerem, tamen ipſum operis argumentum clamat, ſe non alterius eſſe, quàm eius qui Cathedram Petri Canonicè tenẽs primo militantis Eccleſiæ Paſtori in Epiſcopali officio ſuccedit. Accedit eôdem, quòd ea eſt Tuæ Sanctitatis in Eccleſia Dei moderãda virtus & perfectio, vt quod in hoc libello præſcribitur, id omne iam in tuo Pontificatu impletum eſſe videatur. Præterea ſi tanta ipſius operis neceſsitas huc me non traheret, cui ſaltem Cardinalis S.R.E. labor, perinde ac eiuſdẽ Eccleſiæ Summo Paſtori deberetur? Ne igitur aut Cardinalem à ſuo Epiſcopo, aut libellum de Summi Pontificis officio tractantem, à Summi Pontificis nomine ac tutela diuellens, iniuſtitiæ reus fierem, quia ſuum cuique nõ red-

didiſſem: omnino & rerum pondus, & mei officij ratio effecit, vt (inutili pudore ſepoſito) tam vtile opus ſub Tuæ Sanctitatis patrocinio emitterem. Quare abs tua Clementia (Beatiſsime pater) iterum atque iterum peto , vt quod magna ratione faciendum putaui, æquiſsimo animo iam factum accipiat. Deum precor, vt quam ſpem inſtaurandæ Eccleſiæ ſuæ in tuo fœlici Pontificatu oſtendit, eam (Beatiſsime Pater) indies magis magiſque confirmet , donec totam Eccleſiæ ſuæ ædificationem abſoluerit , qui & Tuam Sanctitatem per ſe, & nos per illam regere , ac demum in æternam beatitudinem transferre dignetur . Datum Louanij, Cal. Maij. Anno. D. 1569.

Tuæ Sanctitatis
obſeruantiſsimus,

Henricus Ioliffus
presbyter Anglus.

CARDINALIS POLI
ad Iulium Cardinal. Reuerendiſs.
Epiſtola, ſeu Præfatio, in qua
& argumentum Libri, &
Authoris inſtitutum
continetur.

E*TSI imbecillitas ineuntis ætatis tuæ, Reuerendiſs. Iuli, & graue deligendi ſummi Pontificis onus, quod tibi cum reliquis maioribus natu noſtri Ordinis eſt cõmune, effecit, vt ex quo die te hîc primùm vidi, optarem atque adeo quærerem occaſionem tecum colloquendi, vt quid vel per te ipſe, vel ab alijs admonitus, de tanta re ſentires, ex tuo ſermone elicerem, & qua ex parte minus aſſequi videreris, ea quæ muneris & officij tui propria ſunt (id quod in tanto negotio, & in iſta ætate tibi accidere minus mirum eſt) ego pro mea virili parte in ijs*

perquirendis & inueſtigandis (quantũcunque id eſſet quod à me præſtari poſſet) te adiuuarem: quo in genere etſi nõ dubitabam admonitores tibi non deeſſe, in tanto præſertim numero præſtantiſsimorum virorum, qui & naſcenti virtuti tuæ fauerent, & quid tali tempore tibi maximè opus eſſet intelligerent, in hiſq; præcipuè Herculem Gonzagam auũculum tuum, quem ſciebam hanc curam ſuſcepiſſe, vt ijs te præceptis ad hoc negotium inſtrueret, quibus ipſe pro ſingulari ſua pietate & doctrina, proq; multarum & magnarum rerum vſu eſt ornatiſsimus: tamen hoc me non modò nõ deterruit, quò minus ipſe quoque eodem officio erga te fungerer, ſed potius animos addidit, quòd intelligebam, quò accuratius id facerem, hoc me gratius auunculo tuo, cui plurimum debeo, eſſe facturum. Excitabat præterea ea ſpe, quam mihi egregia tua indoles cùm ſanctiſsimæ atq; prudentiſsimæ matris tuæ, tùm eorum docto-

doctorum, quibus vteris, diſciplina atque præceptis exculta attulit, forè vt quæ rectè ac piè dicta animo tuo tanquam agro fertili, & bene culto quaſi ſemina mandarentur, hæc ſtatim vberes atque præſtantes fructus ederent. Cùm verò tandem occaſionem eam, quam expetebam, nactus eſſem te alloquendi, cúmque de te alia quædam, ſenſus atque animi tui explorandi cauſa, & illud in primis quærerem, quid de vi & natura Summi Pontificatus ſentires, & qua in re eius potiſsimum officium conſiſteret (quòd ex hac quæſtione mihi pendêre omnia viderentur, quæ nos noſtri officij admonere poſſunt in deligenda perſona, quæ ad tantum onus ſuſtinendum idonea iudicaretur) ad hæc ipſe cùm ea, quæ tibi videbantur, reſpondiſſes: incredibile dictu eſt, quantum acumine tuorum reſponſorum, & præclara indole, quæ in illis elucebat, ſum incenſus, vt quæ cœperam tecum his de rebus paucis & ſtri-

ctim

ctim conferre, hæc ipſa copioſius perſequi vellem. Itaque non eo fructu contentus, qui mihi videbatur ex colloquutionibus noſtris in hac re & cauſa à te ſperari poſſe: tentandum mihi eſſe ſtatui, vt nõ ea ſolùm, quæ tum inter nos loquuti ſumus, ſed quæcunque prætereà & tibi ad quærendum, & mihi ad reſpondendum in hoc argumento viderentur conuenire, ea quaſi à te propoſita, & à me reſponſa ſcriptis mandarem. Id autem quàm commodè aſſecuti fuerimus, tute legendis ijs Commentarijs, quos in Dialogi formam redactos ad te miſimus, poſtquam eos cum auunculo tuo communicaueris, intelliges. Qui ne fortè primo aſpectu tibi admirationem afferãt, quòd ea lingua ſunt conſcripti, cuius ego quàm mediocri vſu & cognitione ſum præditus, facilè potes cernere, ſic habeto: Cùm de his rebus tecum primùm agere cœpi, nihil longius ab animo & cogitatione mea abfuiſſe, quàm vt quicquam de illis ſcribe-

ſcriberem. Vt autem, ſi ſcribendum foret, hac ipſa lingua vterer, hoc verò ne in mẽtem mihi vnquam venire potuit. Scribendi enim omnem ſpem & conſilium auferebat locus ipſe ad ſcribendum minimè accommodatus, genus negotij quod omnium noſtrûm animos maximè occupatos tenebat. denique tempus ipſum, quo nihil incertius eſſe potuit, cùm ſingulis penè horis expectaremus, dum totum hoc negotium conficeretur. Eòdem accedebat huiuſce linguæ ignoratio, qua mihi in ſcribendo minimè vtendũ eſſe arbitrarer. Veruntamen ex quo die primus noſter congreſſus mihi ſpem dedit, ſi quid tecum ad vtriuſque noſtrûm vtilitatem, in hoc argumento contuliſſem, operæpretium id fore: cœpi capita rerum quædam annotare hac ipſa lingua, qua tecum loquendo vti ſoleo: cumq́; annotationes hæ præter opinionẽ meam vſqueadeo creuiſſent, vt iuſto volumini conficiendo ſatis eſſe viderentur,

& cùm

& cùm hac lingua vtens, de cuius elegantia nunquam cogitaui, animaduerterem me abſuturum ab omni periculo inanis gloriæ, in quod, qui Latinè ſcribunt, & verborum vndique conquirunt ornamenta, facilè ſolent incidere, te verò ab rerum ipſarum conſideratione ad orationis floſculos ſectandos (id quod omnibus ferè Linguarum peritiam capeſſentibus vſu venit) minimè abductum iri: eò quidem factum eſt, vt qua Lingua res per ſe vtiles, & tibi tali tempore ad cognoſcendum pernéceſſarias, tradere inſtitueram, eadem ſcribenti mihi vtendum exiſtimarem: præſertim cùm nunquam in animo habuerim opus eiuſmodi conficere, quod in aliorum veniret manus, ſed in tuis tantiſper verſaretur, dum hinc egreſſus aliorum libros perlegeres, qui maiore quàm nos tùm intelligentia, tùm explicandi facultate præditi, plus item otij ad ſcribendum nacti idem argumentum pertractarent. Interim

rim

rim autem Commentarium hunc meum tanquam libellum quendam, memoriæ cauſa confectum, apud te haberes, quem peracto negotio conſcinderes. Quòd ſi nihil mihi reticendum eſt eorum, quæ ad ſenſum meum in hoc nouo ſcribendi genere explicandum pertinent: vt hoc ipſum conſilium planè caperem, id maximè effecit, quod ex quodam familiari tuo audiui: Cùm accepiſſes me tibi hac Lingua munus parare, dixiſſe te etſi Latina magis à me expectaſſes, tamen gratiſsimum id tibi futurum. Sic enim facultatem datum iri, maiore tuo cum fructu me remunerandi, quo tibi nihil iucundius accidere poſſet. Nam te, quam Græcorum ſcriptis in Latinum ſermonem conuertendis diligentiam adhibere ſolitus eſſes, quò maiorē Latinè ſcribendi facultatem conſequereris, eadē in meis vertendis vſurum eſſe. Ita fore, vt ſenſa ipſa magis animo inhærerent (dum tam diu in ſingulis ſententijs inter-

terpretandis inſiſteres) quàm ſi lectione ipſa percurreres. Hanc autem tuam diligentiam me loco maximi muneris accepturum, te pro mea in te perſpecta beneuolentia non dubitare. Hæc quidem ſiue tu ipſe dixiſti, ſiue ille vt me magis ad inchoatum opus abſoluendum incitaret: quantum ponderis apud me habuerint, ex hoc ipſo libello, quem ad te miſi, vides. Neque verò te alieni promiſſi fide teneri volo: Non enim eius generis mea ſcripta eſſe iudico, in quibus vertendis tibi omnino elaborandum ſit. Illud tamen ſine vlla dubitatione aſſirmare audeo, ſi rem ſpectes, & argumentum quod tracto: ex omnibus quæ hoc tempore diſci abs te & cognoſci debent, nullum eſſe dignius, nullum vtilius, magiſue neceſſarium, in quo percipiendo omnes neruos ingenij & induſtriæ intendas. Quod ſanè eiuſmodi eſt, vt eius cognitio non ſolùm in hoc negotio omnium quidē maximo, & niſi rectè

tra-

tractetur periculoſiſsimo, rationem omnis periculi vitandi, omniſq; difficultatis ſuperandæ te docere, ſed in reliquo etiam vitæ curſu, qui periculis redundat, idem efficere, & viam denique ad immortalem & beatam vitam munire poſsit. Quare vt in id omni cura & ſtudio incumbas, te valde hortor, illudq; in primis admoneo: te ſic demum fructus ex hoc labore maximos capturum, ſi mens tua illius Spiritus rore irrigata fuerit, quo dictante humanum genus primùm didicit, qui verus ſit eius Paſtor, & quod ipſius Paſtoris, de quo loquimur, munus, cùm vtrumque antea penitus ignoraretur. Neque verò nunc, cùm hæc ſint & hominum ſcriptis, & vocibus, & ipſo rerum vſu illuſtrata, ſine ſummi illius Doctoris ope omnino vnquam intelligi & cognoſci poſſunt. Hunc igitur Magiſtrum & totius vitæ Ducem ſi votis ſupplex tibi conciliaueris: reliqua profectò omnia & facilia, & planè

planè iucunda inuenies. Quod vt facias, te non hortor modò, ſed vehementer etiam atque etiam rogo, vt me ſimul ac teipſum, & vniuerſum Collegium noſtrum, atque adeo ipſam, cuius de re imprimis agitur, Eccleſiam Chriſti Opt. Max. clementiæ, fidei ac tutelæ commendes. Vale. Datum in Conclaui ex cella mea. 13. Calendas Februarij. Anno D. 1550.

DE SVMMO PONTIFICE CHRISTI IN TERRIS VICARIO, EIVSque officio & poteſtate, Liber vnus, in modum Dialogi olim conſcriptus à D. Reginaldo Polo S.R.E. Cardinali Reuerendiſsimo.

Interlocutores, Cardinal. Vrbinas, & Polus.

Præfatio, cum inuocatione Chriſti, qui eſt Pontifex in æternum.

CAPVT PRIMVM.

CVM mihi heſterno tuo ſermone ſatis eſſet perſuaſum in eo negotio, quod maximum atque grauiſsimum in manibus habemus, non modò oportere, ſed ne- ***VRBIN.***

ceſſe eſſe, ſi rectè officio noſtro fungi volumus, vt eius muneris vim & rationem penitus perſpectam habeamus, ad quod virum idoneum quærimus: nihil ſanè mihi longius videbatur, quàm vt huius rei perdiſcendæ cauſa ad te venirem. idque eò quidem facio libentius, quòd tu promiſiſti, ſi, quò me tua oratio duceret, ſequi vellem, te quæ ad hanc rem explicandam pertinent, mecum inueſtigaturum. Itaque cùm præclarè nouerim, te duce errare me non poſſe, in eo præſertim quærendo, quod apud te depoſitum in promptu habes, cùm velis exponere: peto abs te, vt quod vltrò te facturum recepiſti, id mihi nunc roganti præſtes.

POLVS. Ego verò ita faciam, etſi neſcius non ſum, quàm longè viribus meis ſit impar, id quod à me nunc poſtulas, pro rei dignitate explicare, quod me facturum nequaquam promiſi,

miſi, ſed te cum tantummodo inueſtigando tentaturum, ſi qua via & ratione inuenire poſsimus, quod tantæ rei cognitionem nobis aliquam afferat, modò tu laborem perſcrutandi mecũ non refugias. Quid eſt enim in quo melius hoc temporis conſumamus, dum reliqui Collegæ noſtri, id quidem ſatis ipſi tenentes, multos iam dies virum tanto munere dignum quærunt, & vt video, diutius fortaſsis quæſituri ſunt, quàm ſi nos interea ipſum munus Pontificium nondum planè de eo edocti, quale ſit inueſtigemus: cuius quidem rei perceptio facilè nos de viro, cui id rectè commendari poſsit, admonere poterit. Quare quod ad hanc rem meam operam exigis, mihi valdè gratum eſt. Nam & tuum audiendi ſtudium magis, & meum inueſtigandi maximè excitat, meq; in eam ſpem adducit, fore, vt conatus hic noſter, ab eo benignè adiuuetur, qui linguas infan-

tũ diſertas facit, & dat paruulis ſcien-
Pſal.18. tiam. Quamobrem omiſſo omni ge-
nere procemiorum, quæ vllam rei ex-
plicandæ moram allatura ſunt, eo tan-
tùm vtamur, quod ſolùm auditoris
animũ, quum de rebus diuinis agitur,
ſic afficere poteſt, vt ei grata ſit & vti-
lis oratio. Id autem erit, ſi ipſum Chri-
ſtũ, qui huius Pontificatus fundamenta
iecit, quẽ ipſe geſsit, & adhuc gerit, fa-
ctus Pontifex in æternũ, cuius Vicariũ
dicimus eſſe Roman. Pontificem, ſup-
plices orauerimus, vt nobis ſit huius
ſermonis dux, & author, ſpiritus ſui lu-
mine ſic mentes noſtras illuſtrans, vt
quænã ſit huius Vicarij muneris vis &
poteſtas, intelligamus.

VRBINAS. Ita quidem facio, faciamq́ue ſemper libentiſsimè.

Chriſtum, quatenus Deus eſt, Vicario in terris non indigere: at quatenus homo eſt, Vicarium ſibi ſuffeciſſe.

CAPVT

CAPVT. II.

HVIVS igitur benignitate fre- *POLVS.*
ti, quę precibus vocauimus, qui vbi duo aut tres in eius nomine Matth. 18.
fuerint congregati, in ijs ſe interfuturum promiſit, ſic exordiemur, vt quoniã, quod iam diximus, Rom. Pontifex Chriſti Vicarius & eſt, & appellatur, id primùm in genere quæratur, quo in munere, & qua in re eius perſonam gerat: niſi fortè illud antè quærendum ſit, vt omni dubitationi, quæ huic ſententiæ obijci poſsit, occurramus: An Chriſtus, qui Diſcipulis ſuis de ſeipſo loquens, dicit: *Ego ſum vobiſcum* Matth. 28, *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, cùm ab illis diſcederet, in animo habuerit, aliquem in terris relinquere, qui perſonam ſuam gereret, præſertim cùm eius ſit, qui alterius vicem agit, ea perficere, quæ is vel propter abſentiam, vel aliam ob cauſam

öbire aut nequeat,aut nolit.Quod quidem de Chriſto dici nequaquam poteſt, quippe qui,vt ex eius verbis modò intelleximus,ſuis ſemper adeſt.Vbi autem ille eſt, minimè neceſſe eſt alium quempiam eius partes ſuſcipere,cùm munere ipſe ſuo fungi ſemper & velit, & poſsit. Quomodo igitur huic quæſtioni reſpondebimus,vt omnis ex ea dubitatio tollatur?

VRBIN. Res quidem digna eſt de qua quæratur, quæ tamen, ſi rectè memoria teneo,heſterno ſermone ſatis à te eſt explicata,cùm diceres,Chriſtum eſſe & Deum,& hominem: quatenus Deus eſt, Vicario in terris non indigere,ſiquidē ſpiritu ſuo(qui complet, ac regit omnia) ſemper vbique adeſt. At quatenus homo eſt, quia nobis ſubtraxit præſentiam corporis ſui, Vicarium ſibi ſuffeciſſe in eo munere, quod ipſe hîc exercebat, hominesq; ea dignitate decoraſſe, vt ſuum

ipſius

ipſius locum in rem atque vſum Eccleſiæ obtinerent.

Petrum primum fuiſſe Chriſti in terris Vicarium, Scripturarum ex Matthæo & Luca teſtimonijs confirmatur.

CAPVT. III.

QVOD tam præclarè meministi eorum quæ tùm diximus, id quidem nobis & in hac parte quærendi laborem adimit, & animos facit, vt alacrius ad alia progrediamur. Cùm igitur hac breui tua reſponſione oſtenderis, te illud intelligere à Christi Maieſtate minimè alienũ eſſe, Vicarium in terris eum habere: proximũ eſt, vt quæramus, cùm nihil maius aut ſublimius dici de homine poſsit, quàm illum Chriſti Dei & hominis perſonam gerere, quibus terminis & quaſi finibus huius muneris vis & ratio cir- *POLVS.*

cumſcribatur, cui etiam id primò Chriſtus commendauit, & quando primùm oſtenderit, velle ſe Vicarium ſibi conſtituere. Hæc enim omnia varijs Scripturæ locis indicauit, quorum aliqua ſi in medium erunt prolata, adiunctis etiam exemplis conſuetudinis, ac perpetui Eccleſiæ vſus (qui optimus diuinorum Scriptorum eſt interpres) omnia (vt ſpero) aperta erunt & plana, quæ de officio Summi Pontificatus quærimus.

VRBINAS. Affer quæſo in medium ipſa Scripturarum teſtimonia, quibus ea, quæ nunc quærimus, declarantur atque confirmantur.

POLVS. Pauca è multis proferam: nec enim plura tempus patitur, nec ſi pateretur, opus eſſet. Præſertim apud te, cui ſine vllo teſtimonio, hæc quæ nunc quærimus, ſatis ex ipſa fide perſuaſa ſunt: tamen pauca, & ea quidem potiora, tùm ad cònfirmandam

fidem

fidem tuam, tùm ad ea magis explicanda, quæ à nobis quæruntur, afferemus. Quorum primus & præcipuus mihi videtur eſſe locus ille apud Matthæum, cùm Chriſtus inter Apoſtolos aſtans, quorum è numero Vicarium delecturus eſſet, generali quadam interrogatione & omnibus communi, de his ita quæſiuit: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Auditis aliorum de ſe ſententijs, ſubiunxit: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Ad quam interrogationem ſolus Petrus cùm reſpondiſſet: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, confeſtim Chriſtus (prolata eius prima, & illuſtri de Diuinitate ſua cõfeſsione, quam *non caro, non ſanguis, ſed Pater eius cæleſtis ei reuelauerat*) quaſi tùm primùm inueniſſet, cui in regenda Eccleſia ſua principem locũ tribueret, eum tanquam manu præhendens vt in Cathedra collocaret: *Et ego*, inquit, *dico tibi, quia tu es Petrus,*

Mat. 16.

trus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. En tibi locus diuinæ Scripturæ, qui & Chriſtum ſibi Vicarium ſufficere ſtatuiſſe, & in quo munus eius conſiſtat, & cui ſe id delaturum promiſerit, apertè declarat. Cuius verba ſi tibi haud ita videntur eſſe perſpicua, omiſsis in præſentia longioribus explanationibus, ea tantùm perſequemur, quæ ſatis erunt ad aperiendum Chriſti conſilium Petrum ſibi Vicarium in terris conſtituendi. Id verò ſatis quidem oſtendit, cùm nomini, quod is acceperat à Patre, alterũ à ſuo deductũ adiunxit, Petrum à Petra eum
1. Cor. 10. appellans. *Petra autem* (vt ait Paulus) *erat Chriſtus*. Ex quo ſanè liquidò conſtat, Chriſtum Simoni filio Ionæ nomine ſuo impoſito, perſonam Simonis

monis ita commutaſſe, vt ex priuata publicam efficeret, ſuique ipſius Vicarium. Quod etiam multò clarius indicant verba quæ ſequuntur: *Et ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiam meam.* His enim verbis, Petro eum locum, eamq́ue dignitatem tribuit Chriſtus, quæ ipſius propria erat, vt eum vocaret Petram, qua Petra pondus ædificij Eccleſiæ ſuæ ſuſtinetur. Sic enim oſtendit, eum fore populi ſui Principem. At idem magis etiam declarat verbis ijs, quoniam cùm dixiſſet: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, ſtatim adiunxit, *& tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Ex quibus quidem verbis licet intelligere, eam authoritatem, eam poteſtatem ac iuriſdictionem, quæ vni Chriſto, vt vero Eccleſiæ capiti conuenit, ab

ipſo

ipſo fuiſſe ſingulariter Petro conceſſam. Plura quoque ex eodem Matthæo afferri poſſunt, quæ varijs in locis ſcripta idem demonſtrant. Sed nos cùm breuitatis cauſa, tùm quia hæc res apud te, qui de ea nunquam dubitaſti, probationem nullam deſiderat: hoc vno huius Euangeliſtæ teſtimonio, quod Chriſti voluntatem & ſententiam hac in re maximè declarat, contenti erimus. Ad quod ſi ea item adiunxerimus, quæ ex duobus alijs Euãgeliſtis ſumi poſſunt, totam rem, quod quidem ad ſacræ Scripturæ teſtimonia
2.Cor.13. attinet, concludemus, *vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Eorum alterum apud Lucam eſt ſcriptum, eo in loco vbi Chriſtus appropinquante iam mortis ſuæ tempore, quo ipſe è mundo demigaturus eſſet, Petrum Simonis nomine ſic af-
Lucæ.22. fatur: *Simon, Satanas expetiuit, vt cribraret vos tanquam triticum.* Quibus

bus in verbis illud primum animaduerte, Chriſtum de communi periculo vniuerſo gregi impendente cùm loqueretur, non ad multitudinem, ſed ad vnum Petrũ verba facere: illumque vnum admonere de eo, quod tum omnibus euenturum erat. Quid ita quæſo? Niſi quia hoc fieri ſemper ſolet, vbi multitudo aliqua per vnum regitur, vt quicquid ipſius multitudinis intereſt, ſi quod periculum immineat, ad illum, qui præeſt, primùm referatur, vt ſcilicet per vnum multorum ſaluti proſpiciatur. Hoc ſanè animo Chriſtum communi Eccleſiæ periculo Petrum vnum admonuiſſe, declarant eiuſdem verba, quæ ſtatim ſequũtur, cùm iam de remedio loquens, ad eundem Simonem orationem conuertit: *Ego autem* (inquit) *pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Tu autem conuerſus aliquando, confirma fratres tuos.* Num hæc verba interpretem de-

ſiderant, quæ quidem ita ſunt aperta, vt ea etiam quæ ſuprà ex Matthæo citaui, explicentur. Quod enim ille ſcribit, Simoni Bar-Ionæ, fidem ſuam de Chriſto filio Dei viui profitenti, ipſum Chriſtum dixiſſe: *Tu es Petrus*: idem Chriſtus hoc loco eundem alloquens, alijs verbis ſic exprimit: *Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Nam fide eius per Chriſti orationem corroborata ne deficeret, is demum ex Simone tanquam ex lapide fragili factus eſt firma Petra. Quod autem Matthæi loco antea citato dictũ eſt ei à Chriſto: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: idem alio hîc modo dicitur: *Et tu conuerſus, confirma fratres tuos.* Etenim quorum fides infirma, aut certè vacillans, firma Petri fide confirmaretur: hi nimirum ſuper eum, iam Petram factum ædificari dicuntur. Cùm denique ad id periculum, quod imminet in portis

inferi

inferi (vt eſt apud Matthæum) & contra Satanam (vt ait Lucas) expetentem cribare Eccleſiam vt triticum, id eſt, ad omnes Diaboli inſidias Eccleſiæ ruinam expetentis, vnum à Chriſto remedium proponatur, quod conſiſtit in vnius Petri fide, & ea quidem per Chriſti orationem corroborata, ne vllis tentationibus victa ſuccumbat, & deficiat, quò poſſet in eadem fratres ſuos confirmare: hoc quidem apertè demonſtrat, eum poſitum eſſe tanquã Petram in fundamento Eccleſiæ, & ſuper eum Eccleſiam ædificari.

Conſuetudinem & vſum Eccleſiæ optimum verborum Chriſti interpretem explicare, quomodo Petrus in fide confirmârit fratres ſuos, quo nomine propriè Epiſcopi & Paſtores intelliguntur.

CAPVT

CAPVT. IIII.

HVNC autem verum eſſe illorum verborum ſenſum, & hunc ordinem in Eccleſia à Chriſto ad eam conſeruandam inſtitutũ fuiſſe, vt cùm ipſe, qui & verus eſt, & ſummus omnium Pontifex & Paſtor, ſuis precibus Vicariũ ſuum in fide confirmarit, per eum cæteri confirmarentur Epiſcopi & Paſtores, qui propriè Fratres eius appellantur, vt per eos deinceps vniuerſa fidelium multitudo ædificetur, & in fide cõfirmetur: id magis intelliges, ſi conſuetudinem & vſum Eccleſiæ, optimum verborum Chriſti interpretem conſulueris. Hoc autem ſemper réperies, Satana nunquam non expetente Eccleſiæ pacẽ perturbare, ſimul ac Chriſtus gregi ſuo corporalem ipſius præſentiã ſubtraxit: vt quæque pars eius laborare cœpit, eam Petri fide fratres cõfirmantis eſſe liberatam.

tam. Cuius quidem rei exemplum in Concilio Hieroſolymitano primũ eſt editum, quo in Concilio cùm preſente Petro magna de fide haberetur diſceptatio, Satana iam Dei Eccleſiam cribrãte, & in diuerſas diſtrahente ſectas, tùm demum ſeditio illa eſt ſedata, & pax Eccleſiæ reddita, cùm Petrus in medijs fratribus ſuã profeſſus fidem, reliquos Paſtores in eadem obfirmauit, per quos deinceps, quæ labi cæperat pars gregis, in fide confirmata eſt. Idem etiam Petri Succeſſores, fidem eius ſequuti, fecere in reliquis omnibus Concilijs, in quibus multò illuſtrius, quàm viuo Petro, compertum eſt, & cuiuſmodi eſſent Satanæ conatus Eccleſiam Dei cribrare expetentis, & quanta ad eos reprimendos extiterit vis huius ſingularis remedij, quod Chriſtus ad Petrum ſermonem conuertens, verbis illis indicauit: *Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres* Actor. 15.

nos. Vt enim omnia remedia quærantur, quæ vllo tempore Eccleſia eſt experta contra Satanæ malitiam nunquam non omni tentationis genere eam aggredientis: nullum certè reperietur, quod cum hac cõparari poſsit, quod in Cõcilijs generalibus adhiberi eſt ſolitum, vt ſinguli ſingularum Eccleſiarũ Epiſcopi, tanquam Petri fratres confirmarentur per eius ſucceſſores, eandem fidem profitentes. Ad quod in grauiſsimo quoque periculo, tanquam ad ſingulare quoddam, & vnicum omnium malorum remedium vniuerſa Eccleſia ſemper fugere conſueuit, neque vllum præſentius aut inuenit vnquam, aut inuentura eſt: quippe quod ſummam omnium remediorum complectitur. De his autem nunc ſatis erit te admonuiſſe, quæ ipſe Hiſtorias rerum Eccleſiaſticarum legens, veriſsima eſſe reperies, Chriſtique ſenſum in conſtituendo

ſuo

ſuo Vicario, verbis à me citatis expli-
catũ, cùm hæc, quæ modò dixi, euen-
tu ipſo comprobata eſſe perſpexeris,
meliùs intelliges, eundemque certiſsi-
mum putabis.

De primatu Petri ex Euangelio Ioannis.

CAPVT. V.

IAM tertium tertij Euangelij teſti-
monium, vti promiſimus, ad ea con-
firmanda quæ ſuprà dixi, in medium
afferamus. Is locus eſt apud Ioannem,
vbi ſermonem Chriſti recitat cum Pe-
tro habitum, eo tempore, quo iam
ſe è conſpectu gregis eſſet ſubtractu-
rus. Quod quidem tempus poſtula-
bat; ſi Chriſtus conſtitutum habuit,
certo homini relinquere munus illud,
quod ipſe, dum in terris verſaretur,
gerebat: vt idipſum tùm maximè de-
clararet. Hoc autem declarauit, cùm

Petrum eo appellans nomine, quod à Patre carnali impoſitum habebat, ſic interrogat: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Quibus in verbis hoc primū vides, à Chriſto rogari Petrū de amore illo, quo erga ſe, tanquam erga Dominum gregis eſſet affectus: & quidem diligenter admodum rogari: ter enim eandem interrogationē repetit. Quid ita quæſo? Niſi quia rei ſibi omnium chariſsimæ (quam cœlum petens in terris relicturus eſſet) id eſt, gregis ſui curam, homini ſe amanti tradere vellet. Id enim verba Chriſti, quæ ſequuntur, apertè indicant, cùm Petro amorem ſuum erga ipſum ter profitenti, ter paſcendi munus commendaret, bis quidē vt agnos, tertiò autem vt oues aleret: ita illum vniuerſi Gregis Paſtorem conſtituens, qui ſuam vicem gereret. Quod vt melius intelligas, animaduerte, quæſo, huiuſce interrogationis formam, & tempus, & locum.

Ioan. vlt.

Forma

Forma ſanè hæc fuit, quod de amore ipſo percunctans, non de illo amore, quem Petrus erga ſe cum reliquis Diſcipulis communem haberet, & ſine quo nemo ne minimæ quidem partis gregis idoneus Paſtor eſſe poſſit: ſed cùm adeſſet & filij Zebedei, & Thomas, quibus etiam pars gregis cõmittenda erat, de amore illo ſingulari, quo eum Petrus præter cæteros amaret, percunctatus eſt, vt in quo ſingularem erga ſe amorem ſupra reliquos Paſtores inueniſſet, eidem ſingularem inter eos locum tribueret, vt illorum in partem gregis, huius autem in vniuerſum gregem cura atque procuratio emineret. Id verò Chriſtus eo potiſsimum tempore quæſiuit, quo potius ſe corporalem Chriſti præſentiam præ cæteris amare eximio & præcipuo quodam ſigno Petrus oſtendit. Nam cùm illi Chriſtus cæteriſq; Diſcipulis in mari ſimul piſcationi incum-

bentibus poſt reſurrectionem ſeſe cõſpiciendum obtuliſſet, quos etiam à litore appellauit, rogans, *Num quid pulmenti habetis?* Petrus, vt dilecti diſcipuli admonitu eũ eſſe Dominum agnouit, non expectans dum nauis, qua vehebantur, ad litus appelleret, ſtatim in mare proſilijt: vt celerius quàm cæteri, ad eum ipſe perueniret, cuius amore corporalis præſentiæ omnibus iã anteceſsit, quemadmodũ ante Chriſti mortẽ multis antè ſignis oſtẽderat. In quo igitur Chriſtus maius deſideriũ, & maiorem amorẽ ſuæ apud gregem corporalis præſentiæ inuenerat, eidem voluit, cùm ipſe paulò pòſt humanis oculis ſeſe erepturus eſſet, munus illud committere, quo munere perſonam ſuam, tãquam in terris ſemper præſentis, in cura & procuratione dilecti gregis referret. Vt autem apud Lucam eo ipſo loco quem ſuprà citaui, Chriſtus de Petri fide loquens, quæ

eſt

eſt fundamentũ Paſtoralis officij, oſtẽdit ſe non ſolùm eam fidem ab eo requirere, quæ non deficeret, ſed quæ tanta eſſet, vt fratres in fide imbecilles, aut vacillantes corroborare & confirmare poſſet: ita nunc de amore verba faciens, qui eſt tanquam initium omnis rectæ adminiſtrationis Paſtoralis officij, cùm ab eo ſingularem præter reliquos Paſtores, amorem requirit, oſtendit ſibi ita conſtitutum fuiſſe, paſcendi officium Petro, non ſolùm commune cum cœteris, ſed etiam ſingulare & præcipuum committere.
Cuius rei illud vel maximum argumentum eſt, quòd cùm coràm adeſſent etiam ij, quibus pars gregis committenda erat, nunquam ad illos, ſemper ad vnum Petrum ſermonem direxit. Quod ſanè non feciſſet, ſi nihil ei præter paſcendi munus, quod eſſet cum alijs commune, deferre voluiſſet, præſertim ab illo ro-

gatus, vt ſaltem de Ioanne, quid ſtatuiſſet, declararet. Hunc enim ſequentem vt vidit Petrus, quē etiam ſupra pectus Domini recubuiſſe viderat, cùm iam ipſe à Chriſto mandatum de paſcendo grege, ac de genere mortis, qua eum ſequuturus eſſet, accepiſſet: quaſi admirans, hæc ſibi, ac non potius dilecto Diſcipulo fuiſſe dicta, cui moriens Chriſtus etiam matrem commendauerat, ita de eo ſciſcitatur: *Hic autem quid?* Si gregem mihi commendas, ſi te ſequi me iubes, de hoc dilecto tuo, de hoc ſecretorum & cōſiliorum tuorum conſcio ac participe, quid tandem ſtatuiſti? Cui Chriſtus ſic reſpondit, vt conſilium ſuum de Ioāne potius innueret, quàm explicaret. De Petro autem quid ſtatuiſſet, vt magis magiſque confirmaret: *Si eum volo*, inquit, *manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.* Quaſi diceret: Si meum conſilium

lium de Ioanne in illud tempus expli- Ioan.21.
candum reſeruo, cùm interni amoris mei ſecreta aperientur, quod quidem in altero meo aduentu fiet, quid ad te? tu me ſequere in his quæ pertinent ad declarandum te amicum meum, cùm in paſcendo grege, tùm etiam in genere mortis pro eius ſalute ſuſceptæ: id quod huiuſce temporis eſt proprium. Illa autem verba Domini ad Petrum, *Tu me ſequere*, & ſi videntur ad genus mortis tantũmodo referri debere, tamen & hæc, & cætera omnia quæ Chriſtus antea cum Petro eſt loquutus oſtendunt, ea ipſa verba & ad Petrum ſolum ſpectare, & ad eam paſcendi gregis rationem, quam is præcipuam & ſingularem, non communẽ cum cæteris Apoſtolis adhibiturus eſſet. Quem Chriſtus vt in officio vniuerſi paſcendi gregis, ſic etiam genere ipſo mortis ſe ſequi vellet, vt omnibus omnino rebus ſuam perſonã referret.

Quòd

Quòd euentum rerum & conſuetudinem Eccleſiæ attendens, dubitare non poßit, de voluntate Chriſti in vno Paſtore conſtituendo, qui ſuam perſonam in terris referret.

CAPVT VI.

QVOD ſi hæc ſatis intellexiſti, quæ ex hiſtoria Euangelica attulimus ad cõfirmanda ea quæ quærimus de Chriſtiani gregis Paſtore ipſius Chriſti Vicario: adde his quoq; euentum rerum, id eſt, vſum ipſum & conſuetudinem Eccleſiæ, de qua ſuprà dixi, primùm in Petri perſona, deinde in eius Succeſſoribus. Itaq; neque dubitabis de voluntate Chriſti in vño Paſtore conſtituendo, qui ſuam perſonam in terris referret, aut de eo cui hoc munus primùm commendatum ſit, aut de illis qui deinceps hoc idem

idem munus, tanquam per manus traditum acceperunt. Petrum verò vt afflatu Spiritus Sancti donum illud acceperat, quod proprium eſt Paſtoris omnium Chriſti, ſibique cum reliquis Apoſtolis ac Paſtoribus cõmune, ſtatim illud ſuum ſingulare officium in vniuerſum gregem obire cœpiſſe, ex Actis Apoſtolorum ſatis conſtat, cùm Gentium ſimul ac Iudæorum tãquam agnorum & ouium curam & munus ad paſcendum ſuſcepit. Etſi enim Paulus ſcribit, ſe Apoſtolum eſſe Gentium, tamen Petrum multò antè hoc officio, cùm ſibi à Deo commendatum fuiſſet, fungi inſtituiſſe, Paulum autem ex eius conſenſu, vtriuſq; verba oſtendunt. Sic enim apud Lucam in Actis Apoſtolorum Petrus de ſua cura in Gẽtes loquitur: *Sicut elegit Deus Gentes*, inquit, *per os meum, audire verbum eius*. Paulus autem de eodem munere loquens ſe illud quidem iubente Deo, ſed

Nota.

Actor. 15.

ſed ex conſenſu Petri, & reliquorum Apoſtolorum, qui cum eo tùm aderant, obire inſtituiſſe teſtatur, cùm ait Cepham dexteram ſibi dediſſe cum alijs ſocietatis, vt Petrus in Circumciſione, ipſe Gentibus euangelizaret. At Petrus nullo cæterorum conſenſu requiſito, id ipſe tanquam ſummus vniuerſi gregis Paſtor ſuſcepit. Cui & agnos & oues commendans Chriſtus, totius gregis curam tradiderat. Idem autem officium deinceps eius ſucceſſoribus eſt relictum. Neque enim exiſtimandum eſt, Chriſto placuiſſe, vt illud munus, ſimul cum vnius hominis vita terminaretur, quod ne tùm quidem eſſe deſijt, cùm Chriſtus corpore diſceſsit è terris, & in cœlum aſcendit: ex quo nobis indicauit, ne morte quidem Petri ſublatum iri, ſed ad ſucceſſores eius peruenturum, ac tam diu quidem duraturum, quoad oues paſcendæ reperian-

perian-

periantur, & ipſe corpore ad iudicandum viuos & mortuos reuertatur, vt illuſtris & glorioſus conſpiciatur in Sanctis eius. At vbi extremum illud iudicium peractum fuerit, tunc ipſe Chriſtus (vt Paulus ait) *regnum tradet Deo & Patri*, atque ex eo tempore Deus perpetuò erit omnia in omnibus, neque aut eiuſmodi munus, aut qui eo fungantur, amplius erunt. 1. Theſſ. 1. 1. Cor. 15.

Quantum Summus Paſtor, qui Chriſti perſonam gerit, quod ad munus paſcendi attinet, cæteris omnibus, qui vllo vnquam tempore nominati ſunt Paſtores, ſiue Reges, ſiue Sacerdotes ÿ fuerint, dignitate antecellat.

CAPVT. VII.

EQVIDEM iam mihi planè videor intelligere, & quo primùm tempore, & cuinam voluerit *VRBIN.*

lucerit Chriſtus Vicarij munus deferre, idque officium perpetua quadam ſerie in Petri ſucceſſoribus permanere, & in Chriſti grege paſcēdo verſari, quē quidem gregem, cūncti per orbem terrarum diuiſi Chriſtiani conficiant. Sequitur vt me doceas, cùm huius Paſtoris hæ ſint partes, vt Gregem ſibi à Chriſto commiſſum paſcat, quonam ſit is pabuli genere paſcendus, & alia ne ſit ratio paſcendi homines qui extra Gregem Chriſti numerantur. Ea denique omnia cupio dilucidè atque diſtinctè cognoſcere, quæ ad paſcendos cuiuſcunq; generis homines pertinent. Sic enim in quo Pontificium & Vicarium hoc munus conſiſtat, me facilius intellecturum confido.

POLVS. Id autem quò melius percipiatur, illud prius conſiderandum eſt, hoc Paſtoris nomen non ſolùm tribui Romano Pontifici ſummo totius Gregis Paſtori, & reliquis Pon-

tificibus

tificibus, qui ſunt ſingularum partium eiuſdem gregis Paſtores, verùm etiam Hebræis qui Chriſti aduentum præceſſerunt, & Gentilibus, quemadmodum legis apud Homerum, Reges vocari Paſtores populorum: à quo loquēdi modo nec diuina Scriptura abhorret, quæ ſub perſona Dei ſic ait: *Qui dico Cyro, Paſtor meus es tu*, quique idem nomen ſacerdotibus item impertitur. Eſai. 44.

VRBIN. Cùm igitur antequam Chriſtus naſceretur, officium hoc paſcendi homines fuiſſe videamus, cumque non ſolùm Hebrææ gentis, ſed etiam aliarum nationum Regibus Scriptura tribuat id nomen, quod Vicario ſuo poſteà Chriſtus conceſsit: aueo ſcire, in quo horum Paſtorum diſtinctio & differentia poſita ſit.

POLVS. Diſcrimen inter hos Paſtores ex eo facilè dignoſcitur, ſi conſideremus hominem duplici alimenti

menti genere indigere, altero cum cæteris animantibus communi, altero ipſius proprio, vt ratione prædítus eſt, atque ad imaginem & exemplar Dei procreatus. Ac tametſi alterum ab altero ſeiungi poteſt, cùm ipſa corpora in pace & quiete curare non poſsint, niſi animi ſimul virtutis pabulo & pietatis alantur: tamen Reges, quatenus Paſtores ſunt, non videntur curandorum corporum in ciuili vita terminos tranſire. Is enim eſt eorum muneri finis propoſitus, vt ſubiectis ſibi populis ea, quæ humanæ vitæ vſui commoda, & neceſſaria ſunt, adminiſtrent. Idemque de Sacerdotibus, ac Rectoribus Hebræis dici fortè poteſt, qui ante Chriſtum Paſtores extiterunt. Hi enim etſi populo proponebant legem Dei, quæ Chriſti myſteria contineret, & quaſi adumbraret, vt, quod de lege ait Paulus, eorum adminiſtratio

Galat. 3. videretur eſſe *veluti puerilis quædam diſcipli-*

diſciplina ad Chriſtum ducens, qua ipſi quoque cibum quendam animis ſuppeditarent, nihil tum ab his expecta: bat populus, niſi vt Deum ſibi conciliarent, & propitium redderent, quò trãquillius & beatius hîc viueret atq; omnibus huius vitæ bonorum copijs circumflueret, eiſdemque frueretur. Neque enim Hebræis ferè quicquam à ſuis ſacerdotibus & Paſtoribus, à quibus Dei legem edocebantur, apertè proponebatur: niſi quod ad corpus, & præſentem hanc vitam pertineret, quemadmodum licet animaduertere ex eiuſdem Legis promiſsionibus. At hoc non ſibi proponit Paſtor is, qui Chriſti Vicarij perſonam gerit, cùm ne ipſi quidem à Chriſto eiuſmodi quicquam propoſitum fuerit: de quo antequam in terris viſus eſſet cùm Prophetæ loquuntur, ita loquuntur de paſcuis, in quæ gregem ſuum introducturus erat, de aquis, de fontibus, ad

quos oues ſuas aquatum erat ductu-
rus, vt omnia hæc ſempiterna quidem
futura ſignificent. Ipſe autem cum in
terris ad munus Paſtoris obeundum
veniſſet, de ſe ac de ouibus ſuis ſic ait:
Ioan.10. *Ego veni vt vitam habeant, & abun-
dantius habeant*. Quid autem ſit abun-
dantius vitam habere, ſatis declarat cũ
dicit: *Ego vitam æternam do eis*. Cùm
autem ad cibum inuitat, ad immortalē
nimirum inuitat: *Operamini* (inquit)
cibum qui non perit. Aquas autem quas
præbet, dicit eſſe *ſalientes in vitam
æternam*. Ex quibus ſanè percipi po-
teſt, quid interſit inter officium eorũ,
qui Paſtores vocabantur antequam
Chriſtus exiſteret: & eorum qui poſt
eius aduentum eodem nomine appel-
lati ſunt. Illud enim Paſtoris à Chriſto
inſtituti, proprium eſt, vt homines
páſcat cœleſtibus & æternis illis cibis,
quos ipſi tanquam cœleſtes atque ad
Dei imaginem & exemplar procreati
expe-

expetunt. Quòd ſi idem Paſtor operam dat, ne gregi ſuo alimenta deſint ea quæ ſunt corpori neceſſaria: non tamen id facit, vt ijs in hac mortali vita tantummodo perfruatur, ſed vt moderatè vtens, contendat ad immortalitatem. Itaque gregem ſuum Apoſtolus admonēs, *Quod reliquū eſt* (inquit) *qui habent vxores ſint tanquam non habentes, & qui emunt, tanquam non poſsidentes, & qui vtuntur hoc mundo, ſint tanquam non vtentes. Præterit enim figura huius mundi.* Hinc igitur patet, quantum hic Paſtor, qui Chriſti perſonam gerit, quod ad munus paſcendi attinet, cæteris omnibus, qui vllo vnquam tempore nominati ſunt Paſtores, ſiue Reges, ſiue Sacerdotes ij fuerint, dignitate antecellat. 1.Cor.7.

Petrum Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt veluti nauis, primum gubernatorē propriè vocari non poſſe, ſed primum mini-

ſtrum & vicarium ſummi gubernatoris. Item, vicarium Chriſti eſſe miniſtrum miſericordiæ: reges autem iuſtitiæ potius quam miſericordiæ.

CAPVT. VIII.

VRBIN. EXPLICA quæſo planius, quo modo cernatur hæc præſtantia.

POLVS. Sic eam perſpicere poterimus conſiderantes eius Paſtoris, qui Chriſti perſonam ſuſtinet, eſſe partes: vt homines ad vltimum, & illum quidem ſempiternum eorum finem, tanquam ad portum quendam perducat. Atque idcirco omnibus Paſtoribus dignitate præſtat, quòd illi non vltimum ipſum finem propoſitum habent. Quare nauis gubernatori comparari poteſt, qui cùm omnem ſuam operam, omneſque cogitationes eò dirigat, vt nauem in portum perducat: poteſtatem etiam habet tùm comparandi

randi omnia, quæ ad eam reficiendam tuendamq́ue pertinent, tùm nautis & rectoribus imperandi, quò tutius, expeditiusq́ue optatum in portum perueniatur. Sic in ipſa Chriſti Eccleſia, quæ eſt veluti nauis, in qua omnis generis homines, omniſq́ue ordinis, tùm priuati, tùm Principes reperiuntur, & ij quidem omnes ſerui Chriſti, Vicarium eius intelligo eſſe quaſi gubernatorem, cuius ſint partes curare, vt ea in beatitudinis portum deferatur. Quò quidem vt perueniant, omnes eam conſcendunt. Quanquam Petri ſucceſſor huiuſce nauis primus gubernator propriè vocari nō poteſt, ſed primus miniſter idemq́ue Vicarius ſummi gubernatoris, qui eſt ſpiritus Chriſti, à quo Eccleſia tanquā nauis à gubernatore ſapientiſsimo regitur. Quid enim eſt Paulus (inquit Apoſtolus) quid Apollo, quid Cephas, niſi miniſtri eius cui credidiſtis? Huius

ergo miniſtri, qui ſummi illius gubernatoris vicem gerit, qui eiuſdem perſonam ſuſtinet, munus eſt, vt fideles omnes Chriſti ſeruos, qui in Eccleſiæ nauem recepti ſunt, ad eum, quem ille promiſit, beatæ vitæ portum prouehat. Ex quo id, quod paulò antè diximus, ita concludi poteſt, Chriſti Vicarium, cui ſingulare & maximum omnium miniſterium commiſſum eſt, illud nimirum quod ad vltimum ſpectat hominis finem in orbe terrarum Eccleſiaq; gubernanda, obtinere ſummam ac præcipuam poteſtatem inter cæteros omnes Dei miniſtros, ſeu Imperatores, ſeu Reges, ſeu Principes, aut quocunque alio nomine nuncupentur: quos etiam diuina Scriptura vocat miniſtros regni Dei, ſed illos quidem iuſtitiæ potius quàm miſericordiæ, quum Vicarius Chriſti miſericordiæ, quæ ſuperexaltat iudicium, Iacob: propriè miniſter ſit. Cœterùm in hac

ipſa

ipſa dignitate, qua (vt dixi) reliquos omnes Principes anteit, ipſi Principes, eo nec fideliorem quenquam, neq; vtiliorem miniſtrum habent, modò ei permittatur, illis libentibus, fungi miniſterio ſuo.

Quomodo Chriſti Vicarius qui omnibus Principibus honore & poteſtate antecellat, eorum miniſter ſit & ſeruus, explicatur exemplo gubernatoris nauis, Medici, patrisfamiliâs & ipſius Chriſti.

CAPVT. IX.

ISTVD mihi, ni moleſtum eſt, explices velim. Nam qui fieri poſsit, vt qui omnibus Principibus honore & poteſtate antecellat, idem miniſter eorum, ſeruuſq; ſit, non intelligo. *VRBIN.*

POLVS. Hæc verò minimè inter ſe repugnant, cùm huiuſce muneris dignitas in eo poſita ſit, vt in

re omnium tùm maximè vtili ac neceſſariâ, tum præclariſsima: & glorioſiſsima fidelibus vniuerſis inſeruiat, vt eos ſcilicet ad bene beateque viuendum perducat. Quod quidem (vt dixi) exemplum gubernatoris nauis facilè docet, qui etſi in puppe ſedens regat & moderetur, ſingulis * vectoribus quid agendum ſit præſcribens, idem tamen cunctis inſeruit. Hoc ipſum fit in Eccleſia Dei, quæ Petri nauis dicitur. Summus enim Pontifex eſt is, qui ſedens in puppi gubernacula tractat, & cuncta moderatur. Imperat ille quidem omnibus, idem tamen ſeruit omnibus, tam priuatis, quā Principibus. Quò magis autem permittunt Principes, vt is in ipſos authoritatem ſuam exerceat, eò melius & præclarius, quòd ad præſentem & futuram vitam pertinet, cum illis agitur. Quòd ſi ex hac ſimilitudine nondū ſatis intelligis, quomodo ſummus

* Rectoribus.

mus Pontifex idem omnibus dignitate, authoritateque præſtet, idemq; charitate omnibus ſeruiat: exemplum Medici tibi proponito, & authoritatem quam in Principes ægrotãtes is habet, conſiderato. Omnes enim pariter & priuati, & Principes ægrotamus. Hoc ipſum ſatis oſtendit etiam exemplum patrisfamiliâs. Quis enim magis imperat quàm ille, ob dignitatem quam obtinet in tota domo? Quis eo rurſus magis inſeruit vniuerſæ familiæ, conſulens ſingulis, eaque parans omnia, quæ ad victum, quæ ad veſtitum cultumq; corporis, & reliquos vitæ vſus ſunt neceſſaria? Idem efficit Chriſti Vicarius, qui in Eccleſia Dei eſt quaſi paterfamiliâs, vel potius primus miniſter ac diſpenſator Chriſti veri patris familiâs, à quo gubernatur domus hæc Dei, quam (vt ait Apoſtolus) Fideles omnes efficimus. Omnibus enim ille imperat, omnibus inſeruit, eadem præ-

ſtans

ſtans quæ præſtitit ipſius Dominus. Qui quamuis omnium eſſet Rex, & Princeps, tamen inter Apoſtolos & Diſcipulos ſuos, id eſt, in Eccleſia vt miniſtrum ſe geſsit: id quod ipſe de ſe teſtatur his verbis: *Ego in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat, &c*. Eius ergo præſentiã corporis refert ipſius Vicarius, obtemperans Chriſti ſpiritui. Omnibus enim tanquam paterfamiliâs imperat, omnibus ſeruit, vnicuique ea ſubminiſtrans, quæ ad beatam vitam, tùm præſentem, tùm futuram ſpectant, quæque homini vt bene viuat æque neceſſaria ſunt, atque hic aër, vt ſpiritum ducat. Quocirca is munere ſuo ſi ritè fungatur, vtiliſsimus eſt, vt diximus, omnium ſeruus, idemque præſtãtiſsimus. Omnis enim eius honor, omniſque dignitas in ea re conſiſtit, vt in hoc ſeruiendi munere bene ſe gerat; ex quo etiam vocatur honoris gratia Seruus ſeruorum Dei.

Qui

Qui ad ſeſe regendum vix poteſt ſufficere, quo pacto idonea ſit eius cura & opera tot alijs regendis.

CAPVT X.

EXemplum quod de nauis gubernatore, quod de Medico, quod de patrefamiliâs, ac de ipſo Chriſto attuliſti, adeo mihi dilucidè rē expreſſit: vt quæ dudū rebar pugnantiā, nunc optimè inter ſe conuenire videantur. Quocirca ſcire iā aueo, quam rationē & viā ſequens Chriſti Vicarius rectè fungatur officio ſuo, quos miniſtros, quos adiutores habeat. Videtur enim procuratio Orbis terrarū maior eſſe, quàm vt ab vno hoīe ſuſtineri poſsit. *VRBIN.*

POLVS. Grauius profectò eſt hoc onus, quàm vt ei ſuſtinendo pares eſſe poſsint vnius hominis vires. Qui enim ad ſeſe regendum vix poteſt ſufficere, quo pacto idonea ſit eius cura & opera tot alijs regendis gubernandiſque niſi

ſpiritu

ſpiritu Chriſti adiuuetur, atque corroboretur? Ille verò ſeruis ſuis nec defuit vnquam, nec defuturus eſt vnquã, vim ſuam in Eccleſiæ Sacramentis incluſam omnibus his impertiens, qui dignè illis vtantur. Quo ſanè auxilio nullum aliud aut præſentius, aut maius, aut firmius habet Chriſti Vicarius. Adſunt illi præterea multi ſerui Dei, adeſt Moyſes, adſunt Prophetæ, adſunt Apoſtoli, adſunt eorum ſucceſſores. Adſunt omnes Doctores Eccleſiæ, quorum & doctrinæ, & exempli præſidio, & ope ſubleuatur. Poſtremò ſi rectè fungi munere velit ſuo, vniuerſus orbis illi ſuppetias adfert, quo tamen rurſus nihil magis habet aduerſarium.

Chriſtus vicario ſuo tribuens regni cælorum claues hunc finem ei propoſuit, vt populũ eius fidei commiſſum in cælum ducat ad ſe verum regem.

CAPVT. XI.

VERVM de toto hoc genere diſtinctius loquemur, vbi & quẽ ad finem Chriſti Vicarius eius gregẽ ducat, & in quo muneris ipſius ſumma poſita ſit, oſtenderimus. Vtrũque tamen, quod in præſentia ſatis eſt, ex ijs quos citauimus ſcripturæ locis cognoſci poteſt. Nam Chriſtus cùm Petro dicit: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis:* His verbis oſtendit, ſe voluiſſe hunc finem Vicario ſuo eſſe propoſitum, vt populum eius fidei cõmiſſum, in cœlum ducat ad ſe verum ipſius Regem, qui ſedet ad dexteram Patris in excelſis: eidem verò cùm tribuit regni cœlorum claues, quibus ligandi ſoluendique poteſtatem adiungit, eum nimirum ſibi Vicarium, mun-

di iu-

di iudicem, principemq́ue conſtituit. Ligare enim,& ſoluere, hoc eſt, condemnare,& abſoluere, Principis eſt ac iudicis. Quæ quidem poteſtas in ipſo maior eſt, quòd & in vtroque foro verſatur,& ad omnes ſeſe extendit, vt cõſtat ex perpetuo Eccleſiæ vſu atque conſuetudine. A ligando autem exorditur, vt inde ſui muneris obeundi, ducat initium, vbi veteres Paſtores deſierint, vbi Moyſes & Prophetæ, vbi Ioannes Baptiſta populum reliquit, peccata, condemnationemq́ue,& pœnas illis debitas proponens. Nullus enim eorum Paſtorum, qui Chriſtum præceſſerunt, in ſuo munere fungendo vlterius progredi poterat: quàm vt populum ad agnoſcenda & deflenda peccata, hortando & cõminando impelleret. Horum enim cõdemnatio & remiſsio, reijciebatur in magnum illũ Paſtorem Chriſtum, qui mittendus erat à Patre, vt ſaluũ faceret populum

ſuum à peccatis eorum. Quod quidem ſalutare remedium ſuſcipere nemo poteſt, qui non prius lætalem ſuum morbum agnouerit. Neque enim quiſquam ſoluitur, qui vincula ignorat ſua, nec abſoluitur, qui non ſuam prius intelligat damnationem. Quum autem his omnes ignorantiæ tenebris circũfuſi, his peccatorum vinculis cõſtricti ſimus, ideo neceſſe eſt, vt ſententia damnationis, quæ hæc nobis proponit, antecedat. Hunc enim ordinem ſequutus eſt ipſe Chriſti ſpiritus, cùm in eius nomine à Patre miſſus venit in mundum, vt veri Doctoris & rectoris Eccleſiæ partes et numeros omnes expleret. De eius enim aduentu loquens ipſe Chriſtus: *Cum venerit* Ioan.16.
Paracletus, arguet mundum, inquit, *de peccato, de iudicio & de iuſtitia*. Ex his ergo cauſam potes & illã quidẽ maximè neceſſariam cognoſcere, quamobrem primus miniſter Spiritus Sancti

ali-

à ligandò & condemnando ſuum exe-
Actor.2. qui munus incipiat. Id quod prima etiam Petri actio oſtendit. Etenim is cum in eo ſermone, quem primū poſt acceptum Spiritum ſanctum ad Populum habuit, officij ſui functionem inſtitueret exercere, ita tractauit audiẽtium animos: vt cum ex verbis ipſius ſeſe ad Chriſti tribunal condemnatos animaduerterent, magno dolore affecti ac terrore, ecquid ſibi faciendum eſſet percunctati ſint. Tum ille ſic reſpondit, vt omnes conſolaretur: ita alteram officij ſui partem, quæ in abſoluendo conſiſtit, cœpit exercere.

Quod igitur ad hanc quæſtionem pertinet, te iam ſatis arbitror intelligere, eum Chriſti Vicario finem eſſe propoſitum, vt populum ad cœleſtis regni adeptionem perducat, eique ob hanc rem datas fuiſſe claues: eum verò obeundi officij ſui initium facere à condemnatione & abſolutione, id quod

iudi-

iudicis Principiſq; proprium eſt. His adiunximus, vt magis idem explicaremus, ea quæ Petro Chriſtum dixiſſe ait Lucas: *Et tu conuerſus confirma fratres tuos*, eos videlicet, qui & peccatorum vinculis exoluti, & ſeruitute Satanæ vi clauium ac poteſtate ligandi & abſoluendi iam liberati, fratres tui effecti ſunt. Hi enim corroboratione & confirmatione egent.

Chriſti amor omne genus amoris in ſe continet, & omnem rectè paſcendi gregis rationem oſtendit eius Vicario, qui rectè pater beatiſſimus ac ſanctiſſimus nominatur, eo ſenſu quo Chriſtus pater futuri ſeculi.

CAPVT XII.

QVAE omnia duobus illis Chriſti apud Ioannem verbis comprehenduntur, cùm Petro diceret: *Si me amas, paſce agnos meos,* Ioan. vlt.

paſce oues meas. Hoc enim *paſce*, quicquid ad officiũ ſpectat huius Paſtoris, cõplectitur. Illud, *ſi me amas*, oẽm paſcẽdi rationẽ, de qua tu paulò ante quærebas cũ ſciſcitarere, qua ratione Chriſti Vicarius munus ſuum obeat.

VRB. Qualis tandẽ eſt hic Chriſti amor, qui & omne gen' amoris in ſe cõtinet, & oẽm rectè paſcẽdi gregis rationem eius Vicario oſtẽdit, id quæſo explica. *POL*. Hoc ipſe ſolus poteſt explicare, qui hũc amorẽ donat: is ſol' intelligere, qui eundẽ dono acceperit. Vt enim ipſum Chriſtũ nõ reuelat caro & ſanguis: ita nec etiã quis ſit amor eius noſſe, & multò minus explicare poteſt. Solus Chriſti Spiritus hoc nouit ac docet, qui idẽ & eſt Spiritus Dei patris & Paracletus appellatur: is igitur Chriſtũ vnà cũ donis illis quæ à Deo patre per ipſum habemus demõſtrat. Hæc verò nemo videt quin amore Chriſti incẽdatur: qui autẽ Chriſtũ amat, idẽ vere

nouit naturā huius amoris,at non quia nouit,continuo vt ab alijs intelligatur, qui hoc ſpiritu carēt, explanare poterit.Omnē enim humanū ſenſum longè ſuperat.Illud tamē in ſumma de eo dicere poſſumꝰ,Chriſtū amare ſimile eſſe atq; Deū in hoīe,et hoīem in Deo amare.Qua quidē vna in re totius legis diuinæ plenitudo(vt verbo vtar Apoſtoli)cōtinetur.Verū hoc ipſum quod quęrimꝰ,de ratione & modo obeūdi muneris Paſtoris, Vicarij Chriſti,quod amore fieri diximus,nō tā illo pertinere videtur, vt quæramus qualiſnā ſit amor Chriſti: quā quonā modo qui eo ſit affectus in munere ſuo fungēdo, hoc eſt in paſcēdo Chriſti grege, eodē vtatur.

VRBIN. Hoc igitur ſi placet quæramus, Deum patrem deprecantes, vt ſui nos ſpiritus afflatu iuuet:qui Chriſtum nobis ſimul cum beneficijs, ac meritis erga nos ſuis oſtendat.

POLVS. Scitè quidem ac piè. Hic

enim Spiritus eſt qui omnia ſuggerit, qui omnia docet, quæcunque de hoc ipſo amore vtiliter quæri poſſunt. Ita verò in Chriſti Vicario ineſſe deprehendetur, ſi eos ille imitabitur, qui ab altero magnis affecti beneficijs, dum ſeſe beneuolos, gratoſq; in eum volunt oſtendere, eius merita omni genere laudis libenter celebrant, cæteros ad idem prouocantes, ſimulque ſe illius voluntati, & honori tota vita inſeruiendi, cupidos maximè ſtudioſoſque declarant. Nonne grati homines ita ſolent facere?

VRBIN. Solent quidem, & quo maiora acceperint beneficia, hoc magis ad eius laudes prædicandas inflammantur, à quo illa acceperint.

POLVS. Rectè ſane. Tu verò ſi Chriſti in gregem ſuum merita & beneficia conſideraueris, ea multo plura, & maiora eſſe reperies: quam quiſquã non modo ratione, ſed ne cogitatione

quidem

quidem aſſequi vlla vnquam ex parte poſsit. Tot enim ſunt, tantaq́;, vt (quẽadmodum ait Propheta) in cor hominis non aſcendant: ſed omnem omnino intellectum, & humanum & Angelicum ſuperant. Quod ſi Paſtor gregis Chriſtiani, amorem quem in Dominum habet, ſeq́ue gratum aliqua ex parte velit oſtendere: nulla re id illuſtrius facere poterit, quã ſi ipſius Chriſti laudes, vt Paſtoris de ſuo grege optimè meriti celebret, & quacunq; poſſit ratione, non tam verbis, quam factorum imitatione, eius perſonã quam gerit exprimere conetur, & gregem eodem inuitet.

Laudes Chriſti Paſtoris præcipuè contineri verbis Eſaiæ, Paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, & ijs quæ ſequuntur.

CAPVT XIII.

QVAE tandem ſunt præcipuæ Chriſti Paſtoris laudes, diſtinctius abs te vt explicetur, rogo.

POL. Sunt quidem eiuſmodi, quæ perpetuam amoris ſui in eum declarandi materiam, & hominibus & ipſis Angelis præbeant: ſed quoniam has ſubtilius exponi vis, vt plane intelligas, qua ratione Vicarius Paſtor ſuum amorem erga Chriſtum ſignificare, & ſimul officio in gregem ſuo optimè fungi poſſet, ſatis habebimus eas duntaxat recenſere: quas eius ſponſa Eccleſia, hoc ipſo tempore, quo nos de ijs quærimus, Natalem Domini, & ſponſi ſui celebrans, publice in omnibus templis cantari iubet. Hæ vero ſunt, quæ Chriſti Paſtoris titulis cõtinentur, quæq; eius in gregẽ ſuum beneficia declarant, ſic vt tempus ipſum videatur, quaſi vocẽ emittens, nos admonere:

monere: quò ſpectare debeam⁹ quærẽtes quibuſnã rebus Vicarius Chriſti Paſtor amorẽ ſuũ erga Dñm teſtari poſsit

VRBIN. Quos dicas eſſe titulos, valde ſcire aueo.

POL. Hos facilè qui ſint intelliges, ſi recordabere, quæ hoc ipſo tempore in Eccleſiis recitari ſoleãt ex libro Sermonũ Eſaiæ Prophetæ: qui de futuro Chriſti aduẽtu, deque eius ortu quaſi præſentẽ illũ oculis cerneret, ita ſcriptũ reliquit. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperiũ ſuper humerũ eius*, & quæ ſequũtur. Tu verò cũ audis paruulũ natũ, Chriſtũ natũ intellige, Paſtorẽ animarũ noſtrarum. Cum audis eidẽ titulos multos tribui, eos intellige Paſtoris ſummi eſſe titulos, & eiuſmodi, in quibus Vicarius eius Paſtor Dñm referre maximè debeat ſic, ut vim illorũ titulorũ in ſuo miniſterio & in omnibus actionibus exprimat. Itaq; (vt ad exẽpla tandẽ Eſai 9.

veniam) cum audis Chriſtum paruulũ nobis natum & datum, idem intellige de Vicario Chriſti in eius electione: quæ eſt quaſi quidã illius ortus, nimirũ illum exiſtimare oportere, non ſibi ſe natum, non ſibi electũ, ſed nobis, id eſt, vniuerſo gregi. Sic enim Chriſtus Paſtor nobis eſt natus, nõ à ſe electus, ſed à Deo, non ſibi honorem ſumens: qui enim ſibi honorem ſumit, demonſtrat
Heb.ca.5. ſe ſuo, non Dei nomine veniſſe. Id verò nunquam Paſtor Chriſti Vicarius debet oſtendere, quod ipſe Dominus, quod Chriſtus ipſe, qui cum Deus eſſet, patri æqualis ſuo iure dicere potuit: tamen tanquam homo loquens conſtantiſsimè ſemper negauit, affirmans veniſſe ſe miſſum à patre. Id quod alijs verbis Propheta hoc loco ſignificat, cum dicit. Paruulum nobis natum, & filium nobis datum. Hoc enim eſt dicere, Deum patrem chariſsimum ſuum filium miſiſſe, & nobis de-

dediſſe,non vt ille ſeipſum,ſed vt gregem paſceret. Hoc autem illud eſt, quod eius Vicarius Paſtor in vniuerſa adminiſtratione, & ſingulis ſuis actionibus exprimere debet: ſe miſſum & datum à Deo vt filium,ad paſcendum Chriſti gregem. Vtrumq; verò oſtendet,ſi in eo qui ſequitur titulo,Dominum ſuum imitabitur, vt principatum ferat ſuper humerum ſuum.

Quomodo Vicarius Chriſti, Chriſtum imitari poſſit & debeat in titulo paruuli.

CAP. XIIII.

QVID iſta quæſo Prophetæ verba ſibi volunt, quoue pacto in hoc PaſtorChriſti Vicarius Dominum ſuum imitari poterit? *VRBIN.*

POLVS. Priori loco declarandum eſt, quo modo is Chriſtum imitari poſsit, & debeat in ijs,quæ præcedunt

dunt paruuli & filij titulis, id quod nondum explicauimus. Sic autem explicabitur, ſi prius intellexerimus, quẽadmodum Chriſtus perſonam gerens paruuli non reliquerit, ſed Pontificatus ſui adminiſtrationẽ inchoauit paruuli titulum obtinens.

VRBIN. Hoc quidem quo modo ſe habeat, libenter audiam.

POLVS. Id verò facilè (vt ſperò) intelliges, ſi attenderis quænam ſit hæc Chriſti laus. Nam hic à Propheta nihil dicitur, quod nõ magnam Chriſti laudem, vt Paſtoris contineat: de cuius ortu nuncius ad Paſtores primùm per Angelos eſt allatus. Ea verò laus eſt Chriſti paruuli, quod cum eſſet omnium maximus, effici paruulus, dicique voluerit: idemq; cũ eſſet (ſicuti declarant honorifica nomina quæ ſequuntur) Pater futuri ſæculi, princeps pacis, Deus, fortis, admirabilis tamen & fieri, & vocari puer nõ recuſauit. Res

igitur

igitur ipſa ſatis oſtendit, hanc Chriſti laudem ad ſummũ ac ſingularem eius tùm in Deũ Patrẽ, tùm etiã in nos amorem pertinere: qui vt ei pareret, pro ſalute noſtra, voluit è maximo reddi paruulus. In quo item eximiam ſignificauit æterni Patris erga nos beneuolentiã: qui cũ omniũ longè ſupremus eſſet & ampliſsimus, vt nos qui in extremas miſerias decideramus ad ſeſe traheret, permiſerit vnicũ filium, quem ſibi omnibus in rebus æqualem haberet, effici paruulũ, eundemq; omniũ hominũ abiectiſsimum. Quod ſanè factum charitati Patris Chriſtus totum tribuit, cum dicit: *Sic Deus dilexit mundum vt vnigenitum Filium daret pro peccatis eius*. Hunc autem modum trahendi ad ſeſe homines iam ante expreſſerat Propheta Hieremias, cum dixit ſub perſona Dei: Charitate perpetua dilexi te, & ideo traxi te miſerans tui. Res igitur (idem enim repetam, Ioan 3. Hierem. 31.

quo

quo melius intelligas) declarat ad amorem Chriſti referri hanc laudem: qui ideo effectus ſit paruulus, vt ſibi nos coniungens, qui ob peccata noſtra minimi eramus, quique ab impotentiſſimo tyranno Diabolo creatura viliſſima, maximeque à Deo deiecta, eidemque inuiſa, ſeruitute ſupra quam dici poteſt miſera oppreſsi tenebamur, maximos & fœliciſsimos redderet. Vt igitur incredibilem ſuum in nos amorem non modò in patrem oſtenderet, nobiſque exemplum ad imitandũ proponeret, paruulus factus eſt: qui cum

Philip. 2. in forma Dei eſſet (vt ait Apoſtolus) non rapinã arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortẽ, mortem autem crucis. Quæ quidem Chriſti ſubmiſsio nos omnes docet, quales

eſſe

eſſe debeamus, idque primum exemplum eſt, quod in ſe debet edere Chriſti Vicarius: vt quamuis in terris ſit omnium dignitate maximus, tamen quoties videt aut audit, conſilio aut opera ſua, vel minimum quemque aut abiectiſsimũ peccatorem ſeruari poſſe, ſeſe demittat, efficiaturq; paruulus vt eius ſaluti conſulat, quod quidẽ ſe feciſſe teſtatur Paulus his verbis. Facti ſumus (inquit) Paruuli in medio veſtrum, ob hanc ſcilicet cauſam: vt minimi redderentur maximi, vt euaderent filij Dei, qui ante ſerui eius fuerant & inimici. Ita ſe geſſerũt Apoſtoli, ita ſe gerat oportet Vicarius Chriſti Paſtor, ſi vult eam regulam ſequi: quam qui primus hoc munere functus eſt, omnibus Paſtoribus præſcribit, vt exemplo ſint gregi. Etenim ſi gregi Paſtor vult perſuadere, vt paruulus ſit, id quod primum in eius documentis eſſe debet: prius ſeſe talem in conſpectu

ſpectu Dei & hominũ præbeat neceſſe eſt, vt gregi rationem ac viam demonſtret, quam ingredi ac ſequi debeat.

VRBIN. Quopacto quæſo Chriſti Vicarius Dominum ſuum imitatus, ſeſe paruulum oſtendit: primum in cõſpectu Dei, deinde etiam coram hominibus vt his exemplũ & quaſi quandam normam præbeat, ad quam ſeſe ac vitam ſuam conformare ſtudeat?

POLVS. Id eo ſanè modo efficiet, quo ipſum Chriſtum eius dominũ feciſſe legimus, qui multo magis ſe paruulum præbuit coram Deo & hominibus, Paſtoris officiũ exercẽs: quàm vel eo ipſo tẽpore cum pannis infantum inuolutus in præſepio à Paſtoribus inuentus eſt.

VRBIN. Haud planè intelligo, Quare (ni graue eſt) id magis explices velim.

POL. Illud paruuli propriũ eſt, vt in omnibus quæ dicit, ab ore Patris, in

omni-

omnibus quæ agit, ab eiuſdẽ manibus totus pẽdeat: id quod Chriſtus effecit, eo quidẽ ſubmiſsius ſeſe paruulũ gerens, quo plus vniuerſis hominibus, ſapiẽtia, potentiaq́; præſtabat, quippe qui ipſa erat Dei Patris ſapiẽtia & potẽtia: per quẽ quicunq; potentes, ſapiẽteſue ſunt, & poſſunt & ſapiunt. Cùm igitur talis eſſet, tamen in officio Paſtoris, vt homo, nihil ſe dicere profeſſus eſt: niſi quod audiẽdo à Patre diſceret, nihil agere, niſi quod ipſum Patrẽ agere cerneret. Hæc eſt illa Chriſti amoris laus, quã eius Vicarius canere, quã aſsiduè prædicare, quam denique in omnibus factis, totaque muneris ſui functione atque adminiſtratione referre debet, vt ſi dignitate & poteſtate longè cœteris præſtet, ſi omnibus diſciplinis, & artibus, & ſcientijs ſit inſtructiſsimus: tamen in ipſo Paſtoris munere, ſè vti paruulum gerat, nihil aliud ſcire profitendo, niſi id vnum 1.Cor.1.

quod

quod à Deo Patre per Chriſtum edoctus eſt. Hanc Paulus perſonam à ſe ſuſceptam indicat, ad Teſſalonicenſes ita ſcribens, vt paulo ante diximus: & ad Corinthios cōmemorans quæ ipſe doceat, cum verum illis ſalutaremque animorum cibum proponeret, nihil inquit, arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifi-
1.Cor,2. xum. In quo, vt alibi teſtatur, ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei abſconditi. Hoc verò eſt illud myſterium, de quo Chriſtus Patri agit gratias: quoniam id abſcōdiſſet ſapientibus
Matth 11. & prudentibus mundi, & paruulis reuelaſſet. Paſtor qui hac ratione & hoc alimēti genere gregem paſcens, Chriſtum ipſum tùm exemplo, tùm oratione laudabit: is demū erit, qui principatum gerit ſuper humerum ſuum, meritoque vocabitur admirabilis, & tanquam hæreditaria habebit à Chriſto illa præclara cognomina, quæ Eſaias

eodem

eodem quo citauimus loco enumerat.

Quo pacto imitari Chriſtum poſsit & debeat in titulo filij.

CAPVT. XV.

QVORVM primũ paulo clarius quã adhuc fecimus, explanandum eſt: quo ſcilicet ille pacto imitari Chriſtum poſsit & debeat in titulo filij dati. Id verò aſſequitur, ſi ſe Paſtorem non ſemetipſum alentem bonis ouium, ſed oues paſcentem bonis omnibus à ſummo Paſtore, ad illorum cõmodum vtilitatemq́ue datis, præſtiterit. Serui enim & mercenarij ita ſolent paſcere, vt ſibi, non ouibus ſeruiant: hoc autem non faciet is, qui alijs ſe natum & datum nouerit, vt in ſuperiori titulo eſt oſtenſum: qui verò hoc facit, is non ſeruus, non mercenarius, ſed filius, ſed ex ſingulari quadam benignitate Patris datus, verè digno-

ſcitur. Neque enim iure ſuo grex poteſt requirere, vt filius Domini ei ſeruiat: quod ſi hoc fiat, benignitate Domini fit, qui filij ſui operam gregi pro ſalute eius impartitur. Hoc primum fecit Deus Pater, cùm Paſtorem Chriſtum filium ſuum gregi à lupis lacerandū daret, vt eū ab omni tùm inſtāti, tùm impēdēte periculo eriperet. Hoc idem efficere debet Chriſti Vicarius; Domini ſui exemplum ſequutus: vt oſtendat ſe eſſe beneficio Dei, filium gregi datum, qui nec relinquat curam gregis, neque vt ſeruus ac mercenarius, aut metu vllo pœnæ aut ſpe mercedis humanæ adductus, eam ſuſcipiat: ſed amore, ſed eius præmij conſequendi ſpe, quod filijs Patris & Domini, qui gregem paſcunt tribui ſolet.

Quando Vicarius Chriſti principatum ferat ſuper humerum ſuum.

CAPVT

CAPVT. XVI.

ID verò perficit Vicarius ChriſtiPa ſtor,cum principatũ fert ſuper humerũ ſuũ. *VRB.*Iam diu expecto, dum explices,qui nam ſit illorum verborum ſenſus,& principatus ſuper humerum eius: quare ſi videtur id iam aggredere.

POLVS. Hæc verba erunt nobis ſatis perſpicua,illud animaduertẽtib⁹: principatũ,de quo hic loquitur Eſaias eum eſſe, quem Chriſtus tanquam Paſtor obtinet in gregem ſuum, qui quidẽ homines ſunt, vt ait Ezechiel Propheta in perſona Dei:*Vos autem greges* Ezech.34
mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis. Idem grex vocatur etiam Chriſti hæreditas, vt ſcribit Dauid perſonam Pſal.2.
Dei Patris Chriſtum alloquentis inducens: *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ.*Principatus ergo

Chriſti (vt ex his duobus Scripturæ locis conſtat) vniuerſum eſt hominum genus in eum præſertim credentium, qui ex omni Natione & lingua, toto terrarum orbe diſperſi ſunt. Hos geſtat omnes Chriſtus ſuper humeros ſuos. Quemadmodum autem geſtet, declarat Paulus, in hac etiam parte imitator Chriſti: dum in grauibus ærũnis ſuis, onus ſolicitudinis pro cunctis Eccleſijs numerat. Solicitudo
1.Cor.11. omnium Eccleſiarum: *Quis ſcandalizatur & ego non vror? Quis infirma-*
2.Cor.7. *tur, & ego non infirmor?* Et alibi. *Omnia ſuſtineo propter electos, vt ipſi ſalutem conſequantur.* Hoc onus geſtauit Chriſtus ſuper humeros ſuos, cũ portauit crucem, & in ea ſuffixus eſt, cuncta humani generis delicta peccataq; ſecum ferens: vt ea proprio ſanguine ablueret, noſq; moriẽs à morte liberaret. Quod quidem onus, humeris eius impoſuerat immẽſus atq; admirabilis

ipſius non in Patrem modo, ſed etiam in humanum genus amor. Quoties igitur Paſtor Vicarius Chriſti, propter gregis errores, & morbos, moleſtia & ſolicitudine affectus nulla pericula, nullos labores recuſat, vt eum ſeruet: toties ſuper humerum ſuum principatum gerit, atq; ita faciens verè dici poteſt admirabilis, vt in egregijs titulis quibus Propheta Chriſtum exornat, ordo demonſtrat.

VRB. Etſi ea quæ dixiſti, magna quidem ex parte mihi videor intelligere, tamen hunc ipſum titulum Chriſti, & principatum ſuper humerũ eius, dilucidius explorari cupio: difficile enim videtur poſſe cõiungi cum illo, qui deinceps ſequitur admirabilis.

POLVS. Si tibi nondum ſatis cognitũ eſt, quid ſit principatũ ſuper humerum ferre, prudenter feciſti, qui me retinueris: ne ad titulum admirabilis interpretandum progrederer, cũ

alterius intelligentia ab altero pendeat. Vtrumque igitur vt magis perſpicuum fiat, illud ſciendum eſt: omnem in adminiſtrando ſalutem, omnemque honorem, contraque vituperationẽ & cõtemptum quibus quiſque Magiſtratus afficitur, ex eo proficiſci: quod aut ipſe geſtet principatum ſuper humeros ſuos, aut ab illo ſe geſtandũ curet. Hoc enim ſeruũ ac vilẽ mercenariũ declarat, illud Paſtorẽ verè nobilẽ, & diuina quadã animæ virtute præditũ, cæteriſq; præſtantẽ, qui idcirco iure optimo vocatur admirabilis. Id verò te ſic planè intellecturũ ſpero, ſi cogitaueris duo eſſe genera Magiſtratuũ: quos ipſe rerũ humanarũ vſus atque conſuetudo quotidie nobis ante oculos ponit. Alteri ſunt, qui cùm diuitias & opes magiſtratui cõiunctas vident, illum ambiunt, vt bonis eiuſdem perfruantur. Omnes quidem iſti declarant ſe, ſeruili, abiectoq; animo eſſe

& ijs quibus præſunt maximè pernicioſo. Nam mercenarius huiuſmodi eſt fur de quo Christus ait: *Fur non venit niſi vt furetur, & mactet & perdat*. Et illi quidem ferè ſunt qui non intrant per oſtium, nec principatum ferunt ſuper humeros ſuos, ſed ab ipſo feruntur principatu. Onus enim gubernandi ſuſtinere non poſſunt, cùm diuini amoris ſpiritu careant, qui maximum quodq; onus, ferre & vult, & poteſt. Dimiſſa igitur omni ipſius oneris ratione, præſentem duntaxat mercedem intuentur. Eos autem regnare ſæpe permittit Deus, propter peccata populorum, & ob eam in primis cauſam: vt prauæ huius affectionis pœnas luant populi, quod mundi potius, quam cœli diuitias & opes ament, quas Deus promittit ſeruantibus mãdata ſua: quodq; eo potiſsimum tempore ſimulent, quo laudare illum & colere maximè profitentur, de quibus Ioan. 10.

loquitur Propheta in perſona Dei:
Eſai. 29. Mar. 7. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe à me eſt. Meritus ergo ſupplicijs* eorum hypocriſim afficit, Paſtores ac Reges hypocritas illis tribuens, vti ſcriptura teſtatur his verbis.
Iob. 34. *Propter peccata populi, Deus regnare facit hominem hypocritam.* Ex quibus ſanè intelligimus, Deum cum tribuit Regem Hypocritam populo, iuſtitiam ſuam exequi, quam hypocriſi & ſimulationi, qua in eum vtantur homines, verum ipſorum Regem ac Paſtorem, primo eiuſmodi animaduerſionis & ſupplicij genus adhibere ſolet: quo quidem commoniti, ſi reſipiſcere & ex animo ad Deum verum Paſtorem & Regem redire negligant, ſed in hypocriſi, ſimulationeque obſtinatè perſeuerent: tum verò Deus ad extremum vtrumque ita caſtigat & punit, vt neque Rex, neque populus relinquatur, ſicuti multæ ciuitates

funditus

funditus euerſæ, atque deletæ,& crebræ Imperiorum mutationes declarāt. Ex hoc igitur gubernādi genere, nulla laus, nulla admiratio, proficiſcitur. Quis enim admiretur eum, qui ſpoliat, qui occidit, qui hiante ore ad nos tantum caducos & abiectos, atque inanes aſpirat? Ad alterum autem genus Magiſtratuum qui per oſtium ingrediuntur, quique iuſtè ac legitimè gubernant, honeſta omnis peruenit laus, & admiratio. Hi ſunt quos elegit Deus ſecundum cor ſuum. Itaque diuino quodam & paterno animo populos amplexantur, nec eorum opes aut mercedem expetunt. Non veſtra quæro, ſed vos (inquit Paulus) qui erat vnus ex his. Oſtium autem (vt diximus) per quod intrant, eſt amor in Chriſtum: quod idem valet ac ſi dicerem, amor ille quo & Deum & proximum in Chriſto diligunt. Hunc porrò amorem in ipſis eſſe illud indicium

eſt,

eſt, quod principatum, id eſt, honores
ditioni ſuæ & imperio ſubiectos, ge-
runt ſuper humeros ſuos, quemadmo-
dum Deus & Chriſtus geſtat omnes
in ſinu ſuo. Id quod de magno hoc Pa-
Eſaiæ.40. ſtore Chriſto ſcribens Eſaias, *fœtas* (in-
quit) *ipſe portabit*, ſic autem ipſe effe-
cit, qui non venit tanquam mercena-
rius, vt ſeipſum: ſed, tanquam verus Pa
ſtor, vt gregem ſuum paſceret. Quiſ-
quis in hac parte Chriſtum imitatur,
præclari huius cognominis hæredita-
tem cõſequitur, vt merito dicatur ad-
mirabilis. Et profectò dignus eſt, quē
nõ ſolum homines admirentur, verum
etiam Angeli. Hæc autē omnis admi-
ratio ex ea imprimis ratione proficiſ-
citur, quam adhibet Paſtor Chriſti Vi-
carius imitando amorem Domini ſui.
Quæ quidem ratio illi vni cognita eſſe
poteſt, qui arcanũ Dei conſiliũ in eius
amore erga ipſum gregē per Chriſtũ,
& in Chriſto exprimēdo cognoſcit.

Quo-

Quomodo Chriſtum imitando, admirabilis & magni conſilij Angelus dici poſsit.

CAPVT. XVII.

QVamobrem poſtquam Propheta dixit Chriſtũ portare principatum ſuper humeros ſuos, alterum hunc honoris titulũ addit: quẽ iã aliqua ex parte interpretati ſumus, vt admirabilis nuncupetur. Huius autem vocis loco, atq; illius quæ mox ſequitur, conſiliarius, ſeptuaginta Interpretes, tanquã explanãdi gratia, magni cõſilij Angelũ verterunt, quod quidẽ cũ ipſa veritate pulcherrimè quadrat. Eatenus enim verè Chriſtus erat admirabilis apud oẽs creaturas, quatenus erat prædicator, & effector magni cõſilij Dei. Qui autem Paſtor Dominũ ſuũ in hoc cõſilio enunciãdo perficiẽdoq; imitatur, is merito admirabilis, & magni cõſilij Angelus dici poteſt.

VRB.

VRBIN. Quodnam Dei conſilium dicis, cuius nuncius & effector qui ſit, admirabilis reddatur?

POLVS. Nimirum illud, quod ex omni omnis temporis æternitate in interno Dei in genus humanum amore fuiſſe reconditum ex verbis Apoſtoli ſupra demonſtrauimus, quodque idem ipſe amor re ipſa tandem in lucem edidit: cùm Deus, vt dictum eſt, ſe ita diligere mundum oſtendit, vt pro peccatis hominum traderet vnigenitum ſuum. Hoc enim fuit Dei conſilium, quòd hominem in profundum omniũ malorum delapſum funiculis charita-
Oſee,ii. tis (vt Prophetæ verbis vtar) ad ſeſe traheret. Tum verò traxit, tum hoc conſilium expleuit, cum Chriſtus in crucem ſublatus eſt. Habes ſummam illius conſilij, quod Chriſtus poſtquam executus fuerat, tantam de ſe admirationem vel ipſis Angelis commouit: vt eius aſpectu quaſi obſtupeſcentes,

inter

inter ſe quærerent: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Eſaiæ. 63

VRBIN. Equidem non ſatis intelligo, quidnam id fuerit, quod Angelis Chriſtum in cœlum aſcendentem ſpectantibus, tantum admirationis attulerit: & illud multo minus, cum eùm Angeli ſic admirati ſint, quo pacto ipſius Vicarius illum imitando, admirabilis hominibus videri poſsit, qui haud ſcio an imitari Chriſtum poſsit in hoc titulo admirabilis.

POLVS. Quid potiſsimum in Chriſto Angeli ſint admirati, verba Prophetæ ſatis videntur oſtendere, ſub perſona Angelorum loquẽtis, cum dicit: *Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Hic enim primum demonſtrant, ſe admiratos pulchritudinem ſtolæ, quæ erat ſtola innocentiæ, iuſtitiæ, ſancti-

tatis, quam ille nuſquam maculauerat: quæ eadem pulchrior erat, & admirabilior, quòd is ipſam tinxerat eo ſanguine, quem pro nocentibus & contaminatis, atq; ad mortem damnatis effudiſſet. Hoc ergo primũ Angelis admirationem mouebat, tanta charitate obſtupefactis, quæ ſeſe in precioſo illo ſanguine omni ex parte oſtendens, ſole clarius lucebat. Id verò admirationem auxit, quòd eum viderũt gradientem, & hoc opus facientem in multitudine fortitudinis ſuæ. In hoc enim Chriſtus præter omnes creaturas admirandũ ſe præbuit, ſeq; verum Deũ eſſe declarauit. Nulla enim creatura vtcunque pulchra, vtcunque fortis, graditur in multitudine fortitudinis ſuæ. Hac in re Chriſtus ſui imitatorem neminem habet, non tamen præciditur facultas, & ratio adimitur, non modò eius Vicario Paſtori, aut reliquis Paſtoribus: ſed ne minimo quidem ex grege, imi-

tandi Chriſti in hoc facto, vt non ſolũ hominibus ſed ipſis quoq; Angelis ſit admirationi. Ratio verò id faciẽdi hæc erit, ſi depoſita maculata tunica (vt eã appellat Iudas Apoſtolus) quam à primo patre noſtro accepimus, nouã induat à Chriſto donatã, in ſanguine agni lotam, itaq; gradiatur in multitudine fortitudinis ipſius Agni, eũ ſequẽs quocũq; ierit. Quòd ſi id obſcurè dictũ videatur, paulò apertius exprimã. Dico igitur: Quiſquis noſtrum tunicã illam quã in Baptiſmo accepim⁹, purgat corde per fidẽ in ſanguine Agni, eodemq; charitate incẽſo, Chriſti actiones, quas ille oẽs ad Dei gloriam & ad proximi ſalutẽ referebat imitetur & exequatur: hũc nõ hoĩbus ſolũ, ſed etiam Angelis fore admirandum. Id verò quo pacto fieri poſsit à ſingulis è grege, & oporteat, aliqua ex parte docuit prim⁹ ipſe Chriſti Vicari⁹ cui primũ Chriſtus dixit, *Tu me ſequere*, & qui primus in hoc

conſilio propalando, pulchros & admirabiles pedes oſtendit. Hic enim poſtquã de morte & admirabili Chriſti reſurrectione, & de eius fructu dixiſſet, oſtendiſſetque eum ſic deglutiſſe mortẽ, vt nos hæredes vitæ æternæ efficeret, ad cœlumque euolaſſe, ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus,
1.Pet.4. & virtutibus, ſic adiungit: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini, quoniam qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis: vt non iam deſiderijs hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium conſummandam ijs, qui ambulauerunt in luxurijs & deſiderijs, in quo admirantur, vobis non concurrentibus in eandem luxuriæ confuſionem.* Quibus verbis oſtendit, non ſolum quomodo Paſtor prædicando verbo pacis, quod arcano illo conſilio Dei continebatur, admi-

admirabilis videri poſsit: ſed quomodo grex ipſe alijs, qui ſunt extra gregis numerum, admirandus fiat. Quod ſi adhuc tibi non ſatis clarum videatur, ita tibi perſuadeas oportet, & quæ hactenus dicta ſunt, & quæ dicenda reſtant de titulis ſummi Paſtoris, quorũ gloriæ aliqua ex parte omnes ſunt participes, qui ipſum Agnum ſequuntur quocunque ierit: horum intelligentiã multò melius & clarius percipi poſſe in ipſa via, dum Agni veſtigia, quo te Deus vocat parẽdo ſequare, ſine verbis, ſine interprete: quàm antequam in hanc viam te dederis, ab vllo doctore quamuis erudito & eloquẽte. Quapropter ſi hæc recte intelligere ſtudeas, in viam Agni te des oportet, eumq́ue ſequare quocunque ierit: tunc inter eũdum hæc omnia diſces. Ne verò te cõ- Apoc. 14.
turbet, quod ſint plures viæ Agni, & quod ſcriptũ ſit: Quis nouit vias Domini? Quorum verborum ſenſus eſt

tot eſſe, ac tantas, & tam admirabiles: vt omnem intelligentiam & cogitationem noſtram ſuperent. Quod quidem etſi verum eſt, tamen vna exiſtit via Domini, in qua ſi Dominum ſequens, te exercueris, in reliquis non magnopere ambiges, quas ipſe Dominus tibi ſemper aperiet. Hæc eſt autem illa via, quæ in Scriptura inſigni nomine appellatur Phaſe, id eſt, tranſitus Domini: quem ipſe tum eſt ingreſſus, cum viam nobis quæ ducit ad vitam & gloriam antea præcluſam, aperiret. Quæ hoc in ſe præcipuè habet admirationis, quod per mortem tranſit ad vitam, per ignominiam ad gloriam. Hæc verò eſt de qua modò diximus primum
1. Pet 4. Chriſti Vicarium admonuiſſe gregem, vt per eam ingrederetur, cum ait: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eàdem cogitatione armamini*, & de qua concludit, eos qui per eam ambulant,

bulant, cæteris qui in ſordida via ſæculi adhuc ingrediuntur, eſſe admirationi, cum dicit: *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.* Quòd ſi hoc de ſingulis è grege, qui per hanc viam ingrediuntur, quæ ſacra eſt & regalis: quanto admirabiliores erunt illi, qui & ipſi inambulant, & alios ingreſſum docent, de quibus quidem Prophetæ, antequam in terris conſpicerentur, vaticinantes, perinde vt eos coram viderent, dixerunt. *Quam pulchri pedes ſupra montes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Eſt enim hæc via pacis, via quæ ducit ad affluentiam omnium bonorum. Si verò ſinguli Paſtores, qui hanc docent, qui per hanc ingrediuntur ſunt admirandi: quanto magis ſummus ille Paſtor erit admirandus, non ſolum hominibus, ſed Angelis quoque, gradiens ſuper

Eſaiæ. 52. Rom. 10.

montes, in plenitudine poteſtatis, in multitudine fortitudinis, non quidem ſuæ, ſed Agni, cuius ſpeciem atq; imaginem rēfert. Quid tandem obſtabit, quo minus hic, tanquam Deus quidam in terris videatur, id quod ſequitur in titulis Agni & Chriſti Paſtoris.

VRBIN. An Chriſti Vicarius in hoc item titulo, vt in alijs, Domino ſuo ſuccedit?

POLVS. Succedit quidem, quāuis ea propriè ſucceſsio vocari nō poſſit, huius enim verbi proprius eſt vſus, cum vel mortui alicuius ſit hæres quiſpiam, vel in locum viui ſufficitur: qui enim vtrouis modo alteri ſuccedit, is non Vicarius, ſed ſucceſſor nuncupatur, quod de Petro, deque illius Succeſſoribus dici non poteſt: quum & Dominus eorum viuat, & ipſi nomine vique eius agant, quicquid boni agunt. Chriſti igitur Vicario Dei titulus eatenus conuenit, quatenus re-

fert Dominum ſuum, quatenus ſit Chriſti ſimilis, dum in diuinis actionibus ſe gerit vt Deum, vt Chriſtum: qui & verus eſt Deus, & verus homo, hominum commodis, æternæque eorum ſaluti ſemper conſulens. Illud autem in primis ſcire oportet, hanc præclaram Chriſti perſonam, quæ illis titulis exprimitur, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, & Princeps pacis, qui quidem omnes ſunt apud homines maximè glorioſi & inſignes, à nemine referri poſſe: qui non Chriſtum ante in prioribus illis infirmitatis titulis, paruuli & filij, ac principatum ſuper humerum ferentis (qui nullum ſanè humanæ gloriæ ſplendorem, ſed contemptum potius præ ſe ferunt) fuerit imitatus. Hac enim via Chriſtus in conſpectu hominum ad inſignium illorum titulorum adeptionem peruenit; eundemque omnibus aditum aperuit, qui ſibi ſucceſſuri ſunt in

 ali-

aliquam partem veræ gloriæ. Quam quidem nemo vnquam aſſequetur, qui non prius humilitatis & contemptus illius, quem Chriſtus coram hominibus pretulit, particeps effectus fuerit.

VRBIN. Duplicem hanc rationem, qua Chriſtus in mundo repræſentatur, amabo te, paulò clarius explica, nondum enim eam plene cognitam habeo.

POLVS. Hanc igitur vt prorſus intelligas, primum cogitabis, quã formam Chriſtus cum Deus eſſet, induere dignatus ſit, vt mundo ſe oſtenderet. Deinde quo pacto Apoſtoli perſonam eius gerentes imitati ſunt. Chriſtus. n. in mundum ingreſſus, nõ eum modum eſt ſequutus, quo Deus, cũ ſe hominibus indicat, vti conſueuit: vt vel primo aſpectu omnium oculis ſe potentem, magnificum, admirandum præbeat, id quod in ipſo mundi opificio, & rerum omnium procreatione,

facilè præſtitit, & nunc etiam iiſdem tuendis conſeruandiſq; præſtat. Quis enim ſingularem & eximiam ampliſsimæ huius fabricæ pulchritudinē, ordinem, conſtantiam intuetur: qui nō ſimul Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem aſpiciat? At Chriſtus longè diuerſa ratione diuinā ſuam præſtantiam declarauit. Nam vt ſe potentem oſtenderet, non aliter fecit, ac ſi maximus quiſpiam gigas, ſui declarandi roboris gratia, primum omnia arma deponeret, deinde humi proſterni ſe ſineret. Poſtremò vinciri, tumq́ue vehemēter verberari, vt inimici eum prorſus extinctum arbitrarentur: mox verò repente conſurgeret, & omnibus cōfractis vinculis, inimicos omnes ſpiritu oris ſui, tanquam gladio conficeret, & trucidaret. Sic egit Chriſtus, qui cum eſſet Deus Opt. Max. Sapientiſsimus, omnibus tùm ſapientiæ, tùm potētiæ, tum etiā bonitatis, vt hominibus quidē

prauis cæciſque videbatur, poſitis armis, omniſque humani præſidij expers, in ſtadium eſt ingreſſus: vt cõtra ſapientiam, contra potentiam, cõtra bonitatem, quam omnes hypocritæ præ ſe ferebant, decertaret. Nullam enim nec potentiæ ſignificationẽ dedit, cum ſe in terram deijci, ligarique pateretur: nec ſapientiæ, cum ab humana malitia, decipi, prodique ſe ſineret: nec bonitatis, cum perinde vt impius, & ſeductor populi tractaretur. Cæterum reipſa poſtremò de-
i.Cor.1. monſtrauit, id eſſe verum quod Apoſtolus dicit: nempe, quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum & contemptible eſt Dei, & prophanum in conſpectu hominum, id fortius, ſpecioſius, & ſanctius eſſe hominibus. Illud autem in arcano Dei conſilio includebatur, vt Chriſtus præter coniecturam omnem humanã, ſeſe Deum oſtenderet, cuius

rei cauſam Apoſtolus his verbis reddit: *Quia mundus per ſapientiam non cognouit Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Hæc autem admirabilis ſeruandi eos, qui crederent, ratio fuit: vt homines in ea iniquitate & ſæuitia, quam aduerſum Chriſtũ, dum in terris corpore verſabatur, præ ſe tulerat, ſtultitiam, impotentiam, atque impietatem, qua multa iam ſæcula contra Deum vſi fuerant, agnoſcerent. Quicquid enim in Chriſtum Iudæi perpetrarunt, fuit quaſi ſumma quædam eorum, quæ genus humanum iam inde à primi hominis defectione, ad illud vſque tempus in Deum admiſerat, cum in omni malitia & improbitate obſtinatè perſiſteret, maioreſq; in ea progreſſus quotidie faceret: poſtquam illi Diuino mandato neglecto, hoſtis conſilium, tanquam prudentius, & ſibi magis ſalutare ſecutus eſt, nihil aliud ex

hoc flagitio adeptus, niſi id quod ex hoſtium conſilio conſequi ſolet: pro gloria ignominiam,pro quiete laboré, pro fœlicitate miſeriam,ac deniq; pro vita mortem.Quod ex cõmuni omnium experientia,in eius poſteris apparet. Nam pòſt impium illud primi parentis noſtri ſcelus,nihil eſt aliud humana vita,quam id quod Chriſtus nobis perſona propria expreſsit:cum deluſus,irriſus,vinctuſq; vapularet,cum ad extremum morte turpiſsima afficeretur,è qua miſeria & morte nullus eripere nos poterat, quod meritò cõdemnati eſſemus:qui ſpreto Dei conſilio, ſapientia, ac potentia, contra eum noſtro vti maluiſſemus. Ea igitur iuſtiſsima erat in ſingulos homines damnatio, quæ cum nulli vſquã condonaretur:vniuerſos ad interitum & miſeriã æternã perductura fuiſſet, niſi Chriſtus,qui ſine peccato & conceptus eſt, & vixit, diuinæ voluntati

legique

legique ſemper ita paruiſſet: vt eam ne minima quidem in re violaret, cũcta humani generis peccata ſuis humeris impoſita ſponte ſua eluenda ſuſcepiſſet, ea perpeſſus ſupplicia, quibus quemque eorum affici oportuit: atque ita pro peccatis omnium hominum effectus hoſtia, ac nec opinata ratione, à mortis ſempiternæ pœna, in quam meritò inciderant, vendicaſſet, ſeque ea re & verum Deum, & verum hominem oſtendiſſet, vt qui ſacrificio corporis ſui, homines planè Deo reconciliauit, mortéque in vitam, & miſeria noſtra in veram atque perpetuam fœlicitatem conuerſa, veram pacem in mundum inuexit.

Qui Domini ſui formã exprimere vult in præclaris titulis qui apud Prophetam, ſequuntur, Deus, fortis, Pater

futuri

futuri ſeculi, & Princeps pacis, is nullo tempore negligere debet titulos præcedentes, qui horũ ſunt quaſi fundamentum & radix.

CAPVT XVIII.

HACTENVS cognouiſti, per quam rationem & formã Chriſtus primo ſuo in mundum ingreſſu ſeſe hominibus conſpiciendum præbuerit: antequam is ſe Deum, fortem, Patrẽ futuri ſeculi, pacis Principem declaraſſet. Nunc dicendum reſtat, quomodo ea via Apoſtoli, in primiſque eius Vicarius, inceſſere. Is enim Chriſtum prius in humilitate atque infirmitate hominem, quam in ſublimitate & fortitudine Deum repræſentauit. Quanquam cum illos etiam vt infirmos & imbecillos, mundus inſectaretur, nec tamen opprimeret, diuinam in ſe Chriſti virtutem & fortitudinem ijs qui ad cernendum oculos

los haberent, ſatis oſtenderent. Iudicabant enim, in ſe Chriſtum cœleſti præpotentique ſpiritu ſuo inhabitare, quemadmodum Paulus de ſe, deque Collegis ſuis, quos mundus perſequebatur, cum magnum illud Spiritus ſancti munus accepiſſent, ſcribit. *Nos*, inquit, *portamus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non cõfundimur, ſemper mortificationem Chriſti in corporibus noſtris circumferentes, vt vita Ieſu ſimul manifeſtetur in nobis*. Vides quàm noua, atque inſolita via Chriſti Vicario, & eius gregi ſit ingrediendum, vt hominum conſpectui Domini ſui gloriam præferat. At hic fortaſſe quæris, an Succeſſoribus Apoſtolorũ mundo iam magna ex parte pacato cõciliatoque, & Principibus faſces illis Imperij ſubmittentibus, quos ijſdem antea premebant, eàdẽ via incedendũ

2.Cor. 4.

fit,

ſit,ad procurandã ſalutẽ gregis, & illuſtrandam gloriam Domini ſui, qua primi illi Paſtores ſunt ingreſsi, cũ oĩa ærumnis & afflictionibus redũdarẽt. Videri n. poteſt, computato tẽpore ac perſonarũ ſtatu, gubernãdi quoq; rationẽ mutari oportere. Quod tamẽ aliter ſe habet. Eadẽ enim gubernãdi eſt ars, qũa nauis tranquillo mari, & quæ eodẽ ventorũ vi agitato atq; turbato regitur: licet maior ſit regendi difficultas mari infeſto, magiſq; tum emineat præſtãtia rectoris. Quãquam fortaſsis in hac Petri naue gubernanda maior exiſtit difficultas, tranquillis (vt videtur) temporibus, quã in medijs tẽpeſtatibus. Atq; id quidem ſatis oſtendunt exempla vtriuſque temporis, cũ multò plures reperiantur, qui eam bene rexerunt turbulentis, quam pacatis tẽporibus. Quod ſi Paſtor Chriſti Vicarius & ſuũ & gregis ſibi cõmendati ſtatum paulò diligentius attenderit:

nun-

nunquã profectò vlla tẽpora ita tranquilla inueniet: quin aliqua pars gregis tam late diſperſi aliqua vi & iniuria, tanquã nauis tẽpeſtate, iactetur: qua is, (ſi Paſtoris animũ gerat) nõ poterit nõ ipſe perturbari atq; vexari, etiamſi reliquis in reb⁹ quod ad perſonã ſuã attinet, in ſumma pace & trãquillitate viueret, qua quidẽ in re illuſtre illud Domini ſui exemplum habet, qui etſi iam cœlũ teneret, ſecurus ob omni iniuria, quæ à quoquã illi impendere poſſet: tamẽ ei qui gregẽ ſuum inſectabatur dixit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Actor. 9. Hoc nimirũ exẽplo Vicarium ſuum admonens, vt quamuis ipſe quod ad ſe quidẽ pertinet, nõ ſolũ non vexetur, ſed ab oĩb⁹ colatur, & ſumma pace, ſummaq; animi ſecuritate fruatur: tamen vbicũq; terrarũ aliquã gregis partẽ opprimi audierit, perĩde ac ſuomet ipſi periculo ac dãno cõmoueatur, & ita ſe ſemper gerere ſtudeat, quaſi vndique

tempe-

tépeſtatem imminere videret. Vt autem rectè viuatur vna eſt ars regendi & ſe & gregem ſimul, quæ arcano illo Dei conſilio continetur: quod ille ſemper ante oculos propoſitum habere debet, vt ſemper mortificationẽ Chriſti in corpore ſuo circumferat, non minus quidem tranquillis temporibus (ſi tamẽ vlla poſſunt eſſe trãquilla tempora) quam ſi turbulentiſsimis illis Apoſtolorum temporibus vixiſſet. Quin etiam multò magis trãquillis tẽporibus hoc facere debet, quo grauius ac periculoſius, & ſibi & gregi mundi fauor, quàm odium nocere poteſt. Quòd ſi Domini ſui formam exprimere velit, atque effingere in præclaris illis titulis qui apud Prophetam ſequuntur, quique in conſpectu etiam hominum maxime ſunt glorioſi, quales ſunt, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, & reliqui, quos enumerat Propheta: horum quaſi fuudamentum

quod-

quoddam, & radix ij ſunt tituli, quos iam diximus, quoſque ille nullo tempore negligere debet, ſed magna ſemper cura, magnóque ſtudio cuſtodire, vt tanquam glorioſa arbor, ſuos fructus ferre poſſet. Nam vt apertius loquamur, priores illi tituli, quos pro viribus iam explanauimus, eſt quaſi radix arboris illius, ſicuti apud Eccleſiaſticum ſcriptũ eſt: Fructus honoris ædit & honeſtatis. Etenim cum Chriſtum diceremus eſſe paruulũ, eſſe tãquam filium, ſub Patris tutela degentem, & portare Principatũ ſuper humeros: nihil aliud niſi huius arboris radicem exponebamus. Quæ verò ſequuntur, eũ eſſe Deum, eſſe fortẽ, eſſe Patrẽ futuri ſæculi, eſſe Principem pacis, & eũ qui omniũ Principũ ſolium cõfirmet atq; corroboret, quiq; Imperij ſui fines in perpetuũ propaget, ac tueatur. Hi ſunt videlicet huius fœliciſsimæ arboris fructus, & illi quidem Eccleſ. 24

omniū pulcherrimi, & glorioſiſsimi, quos nemo ſanè nō libēter, cupideq́; ad perfruendū arripit. Cæterū vt paruulus ſit, vt tanquā filius in Patris tutela cōſtitutus, regi ſe ſinat, & omnibus in rebus ex illo pēdeat prōptuſq́; ſit ad ſuſcipiēda ferendaq́; onera, quæ ſuis humeris ille impoſuerit: hæc nullus quidē appetit, ſed prorſus refugit. Attamē præclari illi fructus, qui tātopere oībus placēt, quiq́; adeò expetūtur: nec pulchritudinē vllā habēt, neq; virtutem, niſi ab hac ratione proficiſcantur. Verū quia lōgius prouecti ſumus, de huius præclaræ arboris radice diſſerēdo: tempus iam erit de eius fructibus diſtincti⁹ dicere. Atq; illud quidem prius animaduertendū eſt, tantò ſublimiorē, & admirabiliorē fore hāc arborem, tantoq; ſuauiores, vtiliores & glorioſiores fructus dit urā: quātò altius in terram radicē defixerit. Quò libentius etiā adducti ſumus, vt de radice

dice

dice ipſa, quo notior eſſet, copioſius loqueremur: quæ quidē in eo ſita eſt, vt ſuum quiſq; principatū, & gregem tāquā onus à Deo Chriſtoq; impoſitū ferat ſuper humeros, perinde vt Chriſtus tulit. Hoc aūt ſi Vicarius eius efficiat, neceſſe eſt vt non in Dei ſolū, ſed etiam in hominū cōſpectu præcelſus, admirabilis, & tāquam Dei cōſilio rectus, ac deniq; tanquam Deus (quæ vox oēm in ſe continet perfectionem & gloriam) in terris iudicetur.

Explicantur tituli Chriſti, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi & Prīceps pacis: itē quomodo Vicarius Chriſti in his Dominū ſuū referre debeat, ac potiſſimū in poſtremo, q eſt Princeps pacis.

CAPVT XIX.

QVANQVAM verò Chriſtus ſemper hunc titulum meritus eſt, quippe qui

natura eſſet Deus:tamen dum ſeſe tãquam homo demitteret,principatũ ſu per humeros ſuos vſq; ad mortẽ ferẽs, vt pareret Patri, nunquã glorioſis his titulis inſignis apparuit: vt ver' Deus, vt fortis, vt Princeps illius pacis, quã ipſe moriens inter Deum & homines conciliauit,cognoſceretur. Siquidem vſque ad illud tempus, vt homo infirmus,& abiectus exiſtimatus eſt, quod ſub humanæ formæ,quã ſalutis noſtræ cauſa induerat,imbecillitate,diuinitatem, & fortitudinẽ ſuam contegeret: quodq; vt maior pars arborũ, per hybernos mẽſes videtur extincta,ſic ipſe inſitam virtutem ſuam, per totum illud temporis ſpatium,quo patiebatur clauſam, & quaſi ſepultam contineret. At quemadmodum eædem arbores,tranſacta hyeme, folia,flores, & fructus emittendo,magna cum voluptate atque vtilitate hominum ſe viuere teſtificantur:ita Chriſtus ſe geſ-

ſit,ad certum enim tẽpus,quaſi ſepultus in corde terræ iacuit. Et perinde vt granum frumenti iactum in terrá, niſi mortuum fuerit,ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multũ fructum affert: ſic per ſterilitatem & mortem, ad vitam & fœcunditatem peruenire voluit. Hoc igitur exemplum ſequetur Chriſti Vicarius, & quo magis ſterilis in ſe, & mortuus peccato, infirmitatis cruciſque Chriſti particeps fuerit:eo magis diuinitatem,fortitudinem & gloriam in Imperio repræſentabit. Ante enim ita geſtabit clam quaſi ſepultum in corde Chriſtum,cum eius potentia atq; virtute:vt nemo in ſe quicquam glorioſum cernat, quoad noui hominis ſpeciem,ac formã induerit. Induit aũt cũ Magiſtratũ init. Eſt enim (vt ante diximus) Magiſtratus,cũ velatus ſuſcipitur, quaſi quidã nouus hortus,ſicut de Saule ſcriptũ eſt: propterea quod Ioan.12.

vt in regnum ſublatus eſt, totus planè mutatus ſit. Hoc igitur modo Paſtor Chriſti Vicarius ex priuato ſtatu ad ſummum Magiſtratum vocatus & electus à Deo quaſi planta è terra, in qua humilis antè latebat, eminere incipiens, nouos fructus, qui tam illuſtris & excelſi ſtatus proprij ſint, profert, atquè omnibus oſtendit: quorum videlicet primus eſt is, quo omnium virtutum vis continetur, vt ſe Deum factum eſſe declaret, quod tamen de Chriſto dici nō poteſt, quippe qui natura ſemper fuit verus Deus, niſi quatenus deuicta morte Diuinitatem ſuam incluſam atque abditam omnibus aperuit ac patefecit. Sic igitur eius Vicarius Deum ſe oſtendit, ſi Chriſtū Deum in animo ſuo inhærere, ſi Patrē, ſi Filium in ſe commorari declarauerit. Vtrūq; aūt efficiet, ſi omnibus in rebus quas Deus Pater à ſe pro Magiſtratu commendato requirit, ad exemplum

emplum Chriſti, veri Dei filij, ſe ad ad paſcendum alacrem & promptum præbuerit. Ita enim filium intus habere oſtendit. Patrem autem, ſi in his quæ pertinent ad iuuandos homines fidei ſuæ traditos, ſe vt Patrem, vt Deum gerat, paterno ac Diuino amore procurante omnia quæ illorum ſalus, & fœlicitas poſtulat, nulla proprij, aut commodi, aut vitæ ratione habita, ſic enim ſe tanquam Deum quendam in terris hominibus oſtendet. Iam titulus, fortis, ſequitur.

VRB. Titulũ fortis, poſt Dei titulũ conſequi dicis, an ei eſſe adiunctum?

POLVS. Rectè quidem interrogas, poteſt enim videri non alius titulus, ſed adiunctus: vt Deus fortis, locum vnius tituli obtineat, verùm non ita ſe res habet. Fortis enim titulus ſequitur titulum Dei, ſic vt eundem maximè illuſtret. Fortitudo enim de qua hîc loquitur

Propheta, eſt illa, quæ maximè illuſtrat Diuinitatem Spiritus, Patris & Filij intus inhabitantis. Non enim eſt hæc fortitudo humana, ſed Diuina, à Spiritu amoris proficiſcens: quæ mortem ipſam, quæ à nullo niſi à Deo ſuperari poteſt, planè ſuperat ac proſternit. Siquidem hæc dilectio non ſolùm eſt fortis vt mors (ſicut tradit ſcriptura) ſed ipſa morte fortior: quippe quæ mortem ipſam, quæ perdit omnia deletque, morti tradit, vt homines morti obnoxios vitæ reſtituat. Quod (quæſo) quæ fortitudo efficere poteſt niſi diuina? Vſque adeo autem eſt fortis contra mortem dilectio, vt non modo extingui morte nequeat: ſed tũc incipiat & viuere, & maximè fœcunda eſſe, vbi cũ morte luctatur. Tum enim concipit vitã, & morte de-
Cant. 8. uicta, gignit filios vitæ. Quare ſequitur poſt titulũ fortis, Pater futuri ſæculi. Nam qui hac fortitudine eſt prædi-

tus, is

tus, is gignit filios futuri ſæculi, & meliori quidem euentu, quàm Patriarcha Iacob: qui primogenitũ ſuum fortitudinem ſuam appellat his verbis: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris*. Non ſic Deo gignit filios nouus hic Paſtor, Chriſti Vicarius: principium enim non doloris ſed conſolationis, primogenitos gignit, quicunque ſcilicet per eius miniſterium Deo renaſcuntur, quippe *qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*: vt ſint hæredes æternæ vitæ, atque ob eam rem pater futuri ſæculi appellatur. Eſt verò mutua conſolatio (vt Lucæ verbis vtar) cum corda filiorum conuertuntur in Patres, ac rurſum Patrum in filios. Talem Patrem ſe oſtendit, primus ille Chriſti Vicarius. Sic enim eos, quos verbo vitæ, ad mutuam dilectionem genuerat, cohortans ait: *Simplici ex corde inuicem diligite attẽtius,*

Geneſ. 49. Ioan 1. Lucæ. 1. 1. Pet. 1.

renati

renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Talem ſe oſtẽdit diuus Paulus, quum ad eos quos
1,Cor.4. eadẽ ratione genuerat, ſic ſcribit. *Etſi multos pædagogos habetis, non multos tamen patres: Ego enim in Chriſto Ieſu per euangeliũ vos genui.* Quod perinde, eſt ac ſi diceret: Ego vobis fui Pater futuri ſæculi. Nihil enim eſt aliud gignere hominem per Euangelium, quàm efficere vt vetus homo (qui eſt filius huius ſæculi nequã & improbi) moriatur vnà cũ Chriſto, & nouus (qui eſt filius futuri ſæculi beati) cum eodẽ renaſcatur. Hoc igitur modò Chriſti Vicarius Dominum ſuum in titulo Patris futuri ſæculi referens, eundẽ in eo (qui ſequitur titulo Principis pacis, imitatur. Cui enim efficitur Pater futuri ſæculi, eidẽ eſt Princeps pacis. Hũc verò titulũ Chriſto peperit Princeps huius mundi victus, qui eſt Princeps diſſen-

ſionis.

ſionis. Quomodo autem eum Chriſtus vicerit, viam ad veram, id eſt ſempiternam pacem aperiens, quam ille præcluſerat, ante diximus: vbi quemadmodum Chriſtus arcanum illud conſiliũ, quod à Deo per Prophetæ perſonã demonſtratum fuerat, eſſe conſiliũ pacis, non afflictionis, eſt executus. Quia ergo Chriſtus Princeps extitit & effector huius conſilij, ad cæteros eius glorioſos titulos, additus eſt hic etiam, vt Princeps pacis diceretur. Qui quidem titulus omnes ſuperiores cõprehendit, atque omnium vltimus eſt.

VRBIN. An non quædam præterea ſequuntur in hoc Eſaiæ vaticinio, quæ referri videntur ad honorificos Chriſti titulos explicandos?

POLVS. Sequuntur quidẽ, quæ indicant, imperij eius ratio qualis ſit, & qualis ſit illa pax, cuius Chriſtus eſt Prĩceps & author. Atq; etiã apud quos ſit imperij eius ſedes & domicilium:

ſed

ſed hæc in titulis non numerantur. Quam autem vim habeant, paulò pôſt dicemus, Nunc de hoc vltimo titulo Principis pacis concludamus. Nam cum omnes hi tituli tanquã notæ quædam ſint, quibus ſummus ille Paſtor ſe totum hominibus patefecit, & quos nos prǽterea in medium attulimus, vt eum Chriſtum per eas cognoſceremus, tum etiam quo modo Chriſti Vicarius, qui perſonam & locum eius tenet, eum ipſius veſtigijs perſequi poſsit, intelligeremus: ex quo tota eius officij & muneris ratio magis perſpicua fieret. Nulla ſanè nota eſt earum quas recitauimus, quæ per ſe diſtinctius, quid Chriſtus à ſuo Vicario requirat, quidque eum facere oporteat, nobis explicet: quam hic ipſe titulus pacis, quem Propheta vltimo loco poſuit.

VRBIN. Explica, quæſo, quo pacto in hoc ipſo titulo Vicarius Chriſti

Domi-

Dominum ſuum referre debeat.

POLVS. Sic eum imitabitur, quemadmodum in reliquis titulis, qui gloriæ ſpeciem aliquam habẽt: modus autem is eſt quem ante demonſtrauimus, vt eum primo effingere atque exprimere ſtudeat in ijs, quæ huic titulo quaſi oppoſita videntur, neque vllam dignitatem præ ſe ferunt. Idem enim accidit in omnibus illis glorioſis titulis (quod antea ſæpe admonuimus) vt nemo poſsit ſequi Chriſtum in ijs quæ ad gloriam ſpectant: niſi prius illum ſequutus ſit in eo, quod in hominũ oculis nullam gloriæ ſpeciem obtinet. Nã exempli gratia, fieri nõ poteſt, vt quis Chriſtum imitetur in titulo Dei, communione Diuinæ naturæ, quæ humanæ præeſt: niſi prius cum eodem cõmunicata fuerit ea perſona, quæ & Deo, & omni humano generi, Dei cauſa eſt, ſubiecta. Non poteſt conſors fieri cum Chriſto gloriæ tituli

fortis,

fortis,niſi ante eiuſdem imbecillitatis ſocius ac particeps fuerit. Neque tituli Patris futuri ſæculi, ſine communione perſonæ paruuli,& filij parati ad portandum, quicquid oneris ſibi à cœleſti Patre in hoc ſæculo impoſitum fuerit. Atque vt etiam dicam de titulo Principis pacis, ne in hoc quidem Chriſtum quiſquam imitari poteſt: niſi ante ferendis diſſenſionibus in hoc ſæculo (id quod ignominiæ ſpeciem habet) eius perſonam geſſerit.

VRBIN. An vnquam Chriſtus talem perſonam ſuſtinuit?

POLVS. Audiamus quid ipſe de-
Matth.10. ſe dicat. *Nolite putare, quod veni mittere pacem in terrã. Non veni* (inquit) *mittere pacem in terram, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem à Patre ſuo, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Hæc

Chri-

Chriſtus de ſeipſo, de quo tamen ſtatim vt natus eſt, ſtatim vt ingreſſus mundum, Angeli canticum illud cecinere: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* Ipſe verò egreſſurus è mundo diſcipulis ſuis dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Quam vt omnium in domos introducerent, in primis mandauit, cùm eos in omnes terrarum partes Legatos mitteret, ſic enim dicit: *In quancunque domum intraueritis, dicite primùm, pax huic Domini.* Quæ quidem etſi parum videntur inter ſe conuenire, tamen ſi rectè intelligantur, *vnus efficitur, idemqúe* omnium ſenſus: nempe Chriſtum veniſſe in mundum ac propterea natum eſſe, vt amiſſam pacem hominibus reſtitueret. Quod quia fieri non potuit, niſi mundus ipſe ſibi prius inimicus redderetur, vt in gratiam cum Deo rediret, à quò ob immoderatum ſui

Lucæ.2. Ioan.14. Luc.10.

amorem

amorem cum defeciſſet, ſeſe cum capitali ſuo inimico coniunxerat, qui ſe illi amicum ſimulabat. Igitur Chriſtus ab hac falſa amicitiæ ſpecie diſſoluēda exorſus eſt, vt veram induceret: ſic vtramque perſonam ſuſtinuit, & eius qui diſſenſionem importauit, & qui pacem, eam ſanè, quæ cum Deo iungitur, quæque omnem diſſenſionis materiam funditus extirpat, & in perpetuum tollit. Habes quo pacto Vicarius Chriſti Paſtor Dominum ſuum imitari poſsit, & in titulo Principis pacis, quo quidem nihil eſt glorioſius.

Petri Succeſſores, quorum nullus hactenus fuit hæreticus, his omnibus pacis Principes fuerunt, qui Dei mandata per eos fideliter acceperunt, qualeſcunque in cæteris eorum perſonæ extiterint.

CAPVT XX.

ILLVD verò neſcio an ita facilè tibi ſim probaturus, huius pacis miniſtrum quempiam alijs eſſe poſſe, etiamſi ipſe eiuſdem ſit expers, & inimicitias cum Deo gerat.

VRBIN. Quid iſtud tandem eſt? Non enim ſatis intelligo, an qui expers eſt gloriæ horum titulorum, præſtare alteri id poterit, quod ipſe non habet.

POLVS. Quid ni poſsit? An non poteſt Princeps, qui amorē ſuum & beneuolentiam magnifico aliquo munere in ſeruum quempiam velit oſtendere, per alium id ſeruum amoris expertem efficere? Sic verò eſt in his magnificis donis, quæ glorioſis Chriſti titulis continentur. Ea enim Chriſtus aliâs per glorioſos miniſtros, aliâs per inglorioſos diſpenſat. Cùm autem per inglorioſos, id quidem fru-

ctũ muneris non adimit ei,qui ea fide, eoque amore accipit, quo decet. Ita enim ſcribit Paulus de Apoſtolatu ſuo & cæterorum omnium, per quos Dei munera nomine Chriſti hominibus diſpenſantur: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* In miniſtro autem illud inprimis requiritur, vt ſit fidelis. Quẽadmodum enim in legatis Principum, qui cum muneribus ad quempiã mittuntur, fieri videmus, vt quãuis multis ipſi alijs vitijs redundent, tamen ſi fideliter mandata referant, & munera ad præſcriptum eorum à quibus mittuntur diſtribuant, nihil his, qui ea accipiunt, obſunt legatorum vitia: ſic eſt in ea pace (hoc enim nomine omnia comprehenduntur Chriſti munera) quam affert, ac largitur nobis ipſe Chriſtus per ſuos Legatos, quorum Princeps eſt eius Vicarius, vt etiamſi ille expers ſit amoris eius in

1.Cor.4

quo omnis fructus gloriæ conſiſtit: tamen qui eius verba, & pacis conditiones Chriſti nomine ſibi oblatas & libẽter audit, & tanquam optimũ nuncium (id enim ſonat Euangelium) fide amplectitur, huic quidẽ hic Vicarius erit Pater futuri ſæculi, & Princeps pacis, modò fideliter mandata referat, & diplomata, vero Regis ſigillo obſignata, tradat: id eſt, Sacramenta ritè & fideliter miniſtret, viuo verbo verum adiungens ſigillum. Illud enim neceſſariò requiritur in omni miniſtro, vt ſit fidelis. De hac autem legatione ſic loquitur Apoſtolus: *Nos legatione fungimur pro Chriſto, tanquam Deo hortante per nos. Obſecramus igitur vos per Chriſtum, reconciliamini Deo.* Cùm igitur (vt demonſtraui) Petri ſucceſſor in hac legatione ſit Princeps, meritò dicere poſſumus: qui hæc Dei mandata per eum fideliter accipiãt, qualiſcunq; in cæteris eius perſona extiterit, his omnibus 2.Cor.5.

eum eſſe pacis principem. Illud autem in primis admiratione dignū eſt, quod ſingularem Chriſti prouidētiam erga Petri ſucceſſores planè ſignificat, cùm eorum nonnulli iiſdem vitiis, quibus reliqui Paſtores, qui in locum cæterorum Apoſtolorum ſuffecti ab eorum ſanctitate degenerarunt, contaminati fuerint: tamen in corrumpendis mandatis pacis (quæ res verſatur in adulterandis deprauandiſque, aut fidei, aut Sacramentorum dogmatibus, ex quo non parua extitit multarum Eccleſiarum quaſſatio, atque perturbatio) nemo adhuc inuentus eſt, qui cum aliorum erroribus communicatus ſit. Quòd ſi quis in hoc genere aliquando lapſus eſt, tamen qui in errore diutius perſtiterit (id quod proprium eſt hæreticorum) nullus ſanè extitit. Sed hoc ex omnibus omnium temporum hiſtoriis notum eſt, ſi quis cæterorum Paſtorum aliquando inuentus eſt in

fide titubans: eum à Petri ſucceſſoribus vel confirmatum fuiſſe, vel ſi obſtinatus perſeueraret, eiectum. Quò factum eſt, vt qui hunc locum obtineret, is meritò ſemper Princeps pacis præter cæteros diceretur: etſi eorum nonnulli huius ipſius pacis fructu, quod ad ipſos quidem attinebat, caruerunt. Sed non illud nobis nunc propoſitum eſt, vt de vitijs loquamur hominum, quibus vicarium ſuî munus Chriſtus commendauit: ſed de præſtantia, & vtilitate eius poteſtatis, qua ſi quis ad priuatum commodum abutatur, is non aliter ac ſeruus ille, de quo in Euangelio fit mentio (qui cùm à Domino familiæ ſuæ præfectus fuiſſet, hanc eo abſente male tractauit) & rationem reddere, & meritas tãdem pœnas cogetur perſoluere à Domino, qui veniet ea hora, qua neſcit. Poteſtas tamen ipſa ſemper integra manet, ac prorſus ea- Matth. 25.

dem. Non enim, quia ſeruus ille nequam cùm male tractauit familiam, idcirco Dominus aut negat illum ipſi familiæ præfeciſſe, aut eum quamdiu eiuſmodi geſsit perſonam, vicariam Patris familiâs poteſtatem habuiſſe: ſed ſibi quidē ſuppliciū de eius improbitate & nequitia ſumendū reſeruat.

Quod ſequitur in Eſaia: Et pacis non erit finis: id referendum eſſe ad regnum Chriſti & cæleſte, & terrenum.

CAPVT. XXI.

VERVM (vt dixi) nobis propoſitum fuit, de poteſtate & officio Vicarij diſputare, non de hominum vitijs. Illud autem nulla re magis perficitur, quàm ſi Vicarius Domini ſui mandata exequitur, in ijs quæ ſpectant ad titulum principis pacis, ab eo partum, & cum ſuo Vica-

rio communicatum, quo duplex Chriſti Imperium explicatur.

VRBIN. Quid iſthuc tandem eſt de duplici Imperio Chriſti?

POLVS. Sequitur apud Prophetam de Chriſto vaticinantem: *Et multiplicabitur eius imperium.* Quod quidem quale ſit, oſtendit ipſe Chriſtus poſt deuictum Principem diſſenſionis ſimul cum morte, & peccato: per quam victoriam pax illa cœleſtis eſt conſtituta inter Deum & hominem, quam Chriſtus poſtquam à mortuis excitatus eſt, demonſtrauit. Tunc enim quàm latè longeq; propagatum eſt eius Imperium, primis illis verbis, quæ cum Diſcipulis ſuis de ſe habuit, declarauit: *Data eſt* (inquit) *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ac tum quidem eos in vniuerſum terrarum orbem dimiſit cum mandatis pacis, quæ vnico Euangelij verbo ſummatim comprehenditur, Matth 28.

cùm dixit: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quibus verbis & ſequentibus rationem Apoſtolis præſcripſit, qua huius beatæ pacis participes omnes efficerent, & omnium domos, quæcunque eam ſuſcepiſſent, voluptate & lætitia replerent, nunciantes atque edocentes, quo tandem pacto ex vtroque ipſius Imperio fructum capturi eſſent.

VRBIN. Quomodo id quæſo?

POLVS. Dum illud prædicant, quod apud Prophetam ſequitur: *Et pacis eius non erit finis*, id eſt, dum prædicant, & eos, qui verbis ipſorum fidem habent ac parent, participes faciunt æternæ illius pacis: cuius quicunque eſt particeps, is particeps eſt fructus vtriuſque regni Chriſti, & cœleſtis, & terreni. Quemadmodum enim primus ille homo, qui hanc ſempiternam cum Deo pacem primus amiſit,

fructum

fructū ſimul pacificū omnium & cœleſtium, & terreſtrium bonorū amiſit: ita ſecundus hic homo, qui itidem eſt Deus, eam reſtituens, & cœlo ſimul & terra imperat, offertq́ue omnibus ſuam pacem, vt duplicem fructum ex duplici eius Imperio omnes capiant.

In ſolio Dauid Chriſtum ſediſſe, & Vicarijs ſuis vt in eodem ſederent conceßiſſe.

CAPVT XXII.

CVM verò omnia bona ex hac ipſa pace exiſtant, quicunq; eius eſt Princeps & Miniſter, hic cæteris omnibus miniſtris dignitate præſtat. Hic ſedet ſuper ſolium Dauidis, vnde facultas è paradiſo eiectis & exulibus datur amiſſa vtriuſque generis bona recuperandi.

VRBIN. Quid tandem appellas ſedem & ſolium Dauidis? Chriſtus

ne in

né eo ſedit? An Vicario ſuo conceſſit, vt in eodem ſederet?

POLVS. Et Chriſtus in eo ſedit,& Vicarijs ſuis, vt in eodem ſederent, conceſsit: vnde omnia ea, quæ in ſuperioribus titulis præclara continentur, officia ac munera præſtarent. Quod quô melius intelligi poſſit, primùm nobis oſtendendum erit, quodnam ſit hoc ſolium Dauidis. Hoc autem vt ſpero patebit, poſtquam explicauerimus, apud quem populum Dauid ſolium ſuum conſtituerit. Quod quidem declarant verba Angeli ad Mariam Matrem Domini, qui ad hanc ipſam Eſaiæ de Chriſto prophetiam hoc addit,oſtenditque, tunc temporis id Chriſto explendum fore. Nam de eo cùm quædam alia admiranda dixiſſet,ſtatim adiungit: *Et dabit illi Dominus Deus ſe-*
Lucæ.1. *dem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius*

non erit finis. Ex quibus verbis hoc primùm intelligimus, ſedem Dauidis fuiſſe in domo Iacob. Scire autem illud oportet, duplicem eſſe domum Iacob, quam Apoſtolus Paulus ſic diſtinguit: vt dicat Abraham duos filios habuiſſe, vnam de ancilla, quem vocat filium ſecundùm carnem, alterum ex libera, quem (vt Deus promiſerat) ſuſceptum fuiſſe affirmat. De hoc autem, qui fuit ipſe Iacob, dicit: *Non omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ*, tùm addit: *neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij. Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui ſunt filij carnis, ij ſunt filij Dei. Sed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine.* Gal. 4. Rom. 9.

Alio verò in loco qualisnam ſit vera domus Abraham & Iacob, ſic explicat: *Non qui in manifeſto Iudæus eſt, nec quæ in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & cir-* Rom. 2.

& circumciſio cordis in Spiritu, non litera. Denique verò concludit, omnes qui ſequuntur veſtigia fidei Abrahæ, eſſe veros filios & hæredes promiſſionis, eoſdemq; Iſrael filios Dei, & veram circumciſionem appellat. Ex quibus Apoſtoli verbis ſatis apparet, ſi de eo populo loquimur, apud quem ſolium Dauid erat poſitum, in quo ſedendum erat Chriſto: hunc illum eſſe populum, non modò qui ſecundùm carnem ex Iacob ortum duceret, ſed qui ſecundùm promiſsionem factus eſſet hæres: qui quidem populus per vniuerſum orbem terrarum eſt diffuſus. Vtranque verò Iacob poſteritatem diſtinguit idem Propheta, illam qua ſecundùm carnem eſt, feces Iacob appellans, cùm ſub perſona Dei Chriſtum affatur his verbis: *Parum eſt*
Iſaiæ. 49. *vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas feces Iacob, & tribus Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt ſis mihi*
ſalus

ſalus mea vſque ad fines terræ. Ex quibus illud quidem ſatis conſtat, quiſnam ſit ille populus, apud quem regnaturus fuerat Chriſtus. Sed nondum ſatis conſtat, qualiſnam ſit ſedes eius, quæ in ſuperiori prophetia appellatur ſolium Dauidis.

VRBIN. Hoc ſanè à te expecto.

POLVS. Igitur vt appellatione domus intelligimus duplicem populum fuiſſe: itidem accipiendum eſt, duplex eſſe ſolium, duplicem ſedem: quarum altera appellatur Dauidis, altera, quia Chriſti propria non eſt, de qua hîc fit mentio, caret nomine, ſed eam vocare poſſumus Sedem Saulis, qui primus apud Iudæos regnum illud obtinuit, quod ſimilitudinem gerebat cum regno gentium. Talem enim regem ſibi populus à Deo poſtulauerat. Hæc verò ſedes etſi non penitus miſericordia vacaret, tamē propriè erat ſedes iræ & iuſtitiæ diuinæ, vt ſatis colligi-

colligitur ex mandato ipſius Dei ad Saulem, cùm eum in ſede collocaſſet, quæ quidem nec ipſa erat ſecundùm cor Dei, neq; Rex ille qui ſuper eam ſedebat. Dauid autem atque eius ſedes fuit ſecundùm cor Dei, quemadmodũ ipſe Deus de eo teſtatur: *Elegi virum* (inquit) *ſecundùm cor meum.* Saulem verò ſecũdùm cor populi, nõ ſuum elegerat. Hæc ipſa autem tùm (ſpero) clara erunt, poſtquã id cognouerimus, quod dixit Deus per Eſaiam Prophetam, cùm peccata populi eum ad iram, & ad vindictam prouocarēt. Eius verba hæc ſunt: *Alienum opus et peregrinum à me operor.* Sic enim vocat opus iuſtitiæ ſcelera & flagitia populi vindicãtis, quia id ſoleat per alienos & à ſua tandem gratia reiectos efficere. Quod quidem exemplo Saulis ſatis probatur. Nam Deus populo recuſanti imperiũ Samuelis, qui illis ab eo datus fuerat iudex ſecundùm cor

Actor. 13.

Eſai. 28.

ſuum,

ſuũ, vel potius renuenti ipſius Dei Imperium (ſic enim interpretatur Deus ipſe, cùm poſtularẽt ſibi dari regẽ more cæterarũ gentiũ) regem Saulem in vindictam dedit, qui vt iniuſtus eſſet, ſedebat tamẽ in ſede eius iuſtitiæ, qua Deus ſine miſericordia vindicãdis & populi ſui & cæterarũ Gentium ſceleribus vti ſolet. Cuius rei illud maximum ſignũ eſt, quòd cùm Saul extra Dei mandatũ miſericordia vti vellet aduerſus Amalachitarum Regem à ſe bello victũ & ſupplicem, ob hanc vnã cauſam Deus illum à ſede Regia abiecit, vt verba Samuelis ad eũdem oſtẽdunt: *Quia non obediuiſti voci Domini, neq; feciſti* (inquit) *iram furoris eius in Amalech, idcirco quod pateris fecit tibi Dominus.* Vt verò Deus hoc alienum à ſe opus, & per alienum & ſibi infenſum miniſtrũ confecit: tùm quidem aliud ſolium erexit, quod eſt ſoliũ miſericordiæ, atq; in eo virum quem 1.Reg.28.

ſecun-

ſecundùm cor ſuum delegiſſet, conſtituit, ſicut Scriptura de Dauide teſtatur his verbis: *In ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſacula.* Hoc demum ſolium eſt, in quo Eſaias Propheta, & Angelus Gabriel Chriſtum ſeſſurum vaticinati ſunt. Quod quidem (vt diximus) eſt ſolium miſericordiæ; in quo Chriſtus ſedere vult ſuum Vicarium: qui, propterea quòd hanc ſedem obtinet, præeſſe dicitur omnibus Gentibus, & omnibus Regnis; quæ videlicet in iudicio, & in iuſtitia corroboret.

Eſai. 9.

Vbinam ſit vera et propria ſedes Vicarij Chriſti: Et, quodnam ſit proprium Chriſti regnum.

CAPVT XXIII.

HIC verò quæri poteſt, ſi ſedes regni Chriſti eſt ſedes illa, quæ ſolium Dauidis nuncupatur, cuius

cuius regnum conſtat fuiſſe in terris? quomodo tandem conuenire id poſſet cum verbis Chriſti? qui de ſuo regno loquens, dicit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Ioan.8.

VRBIN. Quemadmodum quæſtionem iſtam diſſoluas, expecto.

POLVS. Ita quidem facilè diſſoluemus, ſi ea quæ Propheta ſubiungit, attenderimus. Poſtquam enim dixit, Chriſtum ſeſſurum ſuper ſolium Dauidis, ſtatim addit: vt corroboret illud *in iudicio & in iuſtitia àmodò vſque in ſempiternum*. Quibus quidem verbis oſtendit, regnum Chriſti fuiſſe ſpirituale & cœleſte: quippe qui regnum Dauidis terrenum & viſibile corroboraturus eſſet. Non enim terrenum à terreno corroborari & confirmari poteſt in iudicio & iuſtitia. Nam labitur & fluit omnis humana iuſtitia & omnis rectè gubernandi ratio, niſi cœleſti Chriſti iuſtitia fulcia-

tur, & ſuſtineatur. Id verò quo pacto ſe habeat, declarat progreſſus Apoſtolorum in propagando Chriſti regno, quod nunc nomine *Euangelij*, nunc (& quidem expreſsius) *Euangelium regni*, nunc *Regnum Dei* appellatur.

Hoc ergo fuit mandatum illud Apoſtolorum, quod cætera omnia mandata complectebatur, vt euntes
Math 28. ſcilicet in vniuerſam terrã, hoc Euangelium, hoc Regnum Dei omnibus nunciarent, nulla cuiuſquam gentis, nulla Nationis, nulla generis, aut perſonarum habita ratione. Hoc Iudæis, hoc Græcis, hoc maſculis, hoc fœminis, hoc ſapientibus, hoc ſtultis, hoc denique (vt ipſe ait Chriſtus) *Omni creaturæ prædicarent*. Huc igitur omnis eorum labor, omnis induſtria ac totum miniſterium referebatur, vt Diuinum hoc regnum in ani-

in animis ac mentibus vniuerſorum & ſingulorum conſtituerent, ac planè figerent.

Quicunque autem eis ſe ſponte regendos ſubijciebant, ij ſunt omnes tanquam vnius Ciuitatis effecti, quæ Eccleſia & Ciuitas Dei vocatur, quæ fundata eſt (vt eſt apud Scripturam) *in exultatione vniuerſæ terræ*. Heb. 12. Pſal. 47. Id verò quo pacto, mox dicam. Nunc illud ſcire oportet; hanc illam eſſe Ciuitatem, de qua Iſaias Propheta vaticinatur, cùm dicit: *Et Portæ eius non claudentur. &c.* Eſaiæ. 45. Ad eam enim, & cuilibet qui velit ingredi, & quouis tempore patet aditus: quippe quæ nulli vnquam clauditur. Hæc nunc ita breuiter commemoro, vt intelligas vbinam ſit vera & propria ſedes Vicarij Chriſti, & quodnam ſit proprium Chriſti regnum. Hæc verò eſt ipſa Eccleſia Dei, eiuſdem

ſanguine fundata, atque erecta, in qua ſolus ipſe Chriſtus regnat, quæ non regnum huius mundi, ſed regnum cœlorum, non ciuitas hominum, ſed filiorum Dei appellatur: vbi ſucceſſor Petri Vicariam Chriſti ſedem obtinet, nihil ille ſuo, ſed omnia nomine Domini ſui agens, qui eſt Summus Rex & Summus Sacerdos, ac Deus benedictus in ſæcula.

Quomodo in Apoſtolos & Summos Pontifices conueniat illud Eſaiæ: Super regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia.

CAPVT XXIIII.

QVO pacto autem, qui in hac Ciuitate Dei Chriſti Vicarius eſt, in regno hominum præſideat, vt illud confirmet, atque corroboret, ſic videbimus, ſi prius (vt

dixi)

dixi) progreſſum rerum geſtarum Apoſtolorum intellexerimus, quemadmodum illi cognito hoc regno, & vbique iacto in animis hominum cuiuſque generis hoc ſancto ſemine, ex quo hæc Ciuitas creuit, ipſi poſtea regnum hominum prolapſum reſtituerint, ac corroborauerint, exultante vniuerſa terra. Quod quidem Liber rerum geſtarum Apoſtolorum nobis oſtendit, qui initia & incrementa huius Ciuitatis Dei ſatis perſpicuè explicat: in quo illud primùm videmus, cùm promiſcuam & inconditam multitudinem tanquam Gregem errantem ad vnius Paſtoris obedientiam compuliſſent & aggregaſſent, tum eos id ſtuduiſſe, vt in ſuo quemque loco collocarent, & quaſi accubare facerent: quod quidem ſecundum munus eſt, quod ad officium Paſtorum pertinet. Primum in eo verſatur, vt vniuerſos ſimul congregent:

hoc verò ſecundum munus tùm Apoſtoli præſtiterunt, cùm domos ſingulorum adirent, cùm vnicuiqne ſuum officium præſcriberent, vt ex Epiſtolis Pauli & Petri conſtat, docentes, quo pacto Parentes erga filios, & filij erga parentes ſe gererent: cùm matres, cùm viduas, cùm virgines, cùm dominos, cùm ſeruos, quo modo ſe in officijs continerent, docerent. Cùm denique ſingulis ſuum officium ac munus demonſtrarent. Quod quid aliud erat, quàm œconomicum imperium, quod primum eſt in Regnis hominum, & quaſi parens Rerumpublicarum & regnorum omnium, erigere, conſtituere, corroborare, cùm illud quidem per vniuerſum orbem (pace cum Deo vbique ſublata) fractum eſſet, atque collapſum? Quia ergo Apoſtoli principes miniſtri fuere huius pacis cum Deo conciliandæ, ideo conſtituendæ

etiam

etiam domeſticæ pacis, & cum ea ſimul corroborandi regnum (vt ita nunc priuatam rei familiaris adminiſtrationem appellemus) authores meritò dici poſsint, atque etiam pacis publicæ omnium Gentium, quique regna & Reſpublicas omnes confirmarent, quorum omnis vis & robur, ex inita cum Deo pace pendet. Itaque iure de illis prædictum eſt, *conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, cùm nullum imperij genus in terris ſit, quod diminutum & collapſum vt reſtituatur atque corroboretur, non horum Principum miniſtrorum Diuinæ pacis, operam & authoritatem deſiderat. Ipſi autem vnius Principis Paſtoris, à quo regantur, opera indigent, qui Princeps eſt Principum, & Dominus Dominorum, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, cuius illi ſunt ſerui atque eiuſdem Imperij miniſtri, & do-

norum diſpenſatores. Ex his verò, quæ modò diximus, ſi vides quo pacto Chriſtus ſedeat ſuper ſolium Dauidis, & ſuper regnum eius, vt corroboret illud & confirmet (per hoc autem ſolium intelligimus regnum illud Dauidis, quod ſpeciem gerebat æterni regni Chriſti, vtpote quod ſuper miſericordia Dei fundatum erat) ſimul etiam vides, quo pacto Chriſti Vicarius primũ, deinde cæteri Apoſtoli, qui Chriſto in ſpirituali regno ſeruiebant, eidem in omnibus legitimis regnis ſeruierunt, vt collapſa reſtituerent & corroborarent in iudicio & iuſtitia. Quinimo in eorũ miniſterio multò magis apparet, quemadmodũ Chriſto data ſit omnis poteſtas in terra, & quemadmodum Dominator excelſus in regno hominũ, quàm in ipſius Chriſti exemplo, qui dum in terris verſaretur, vix vllũ veſtigiũ reliquit ſuæ in regno hominis poteſtatis.

Hoc enim Apoſtolis & eorũ ſucceſſoribus exequendum reliquit, poſt iactũ à ſe fundamentum regni Dei, in quod vnũ penitus ipſe incubuit. Hæc verò terrena poteſtas cœleſtem poteſtatem ſequebatur, neq; vnquam de ea apertè Chriſtus antè loquutus eſt, quàm per mortem & reſurrectionem ſuam, fundaméto regni Spiritus, quod eſt regni Dei, conſtituto. Cùm enim dixiſſet, & re ipſa per victoriam mortis oſtendiſſet, ſibi datam eſſe omnem poteſtatem in cœlo, tunc adiunxit, & in terra: Matth. 28
quod perinde valebat ac ſi diceret, ſe, vt hominem, factum eſſe Dominum & hæredem vniuerſorum, & omnia regna terræ ſibi etiam deberi. Cuius quidem rei aliquam ſignificationem ante mortem ſuam dederat, cùm ab eo tributum regibus terræ pendi ſolitum peteretur: quo tempore (vt eſt Rom. 13.
in Euangelio) ipſe à Petro quæſiuit, Matth. 22
num filij Regum tributa ſoluerent?

Innu-

Innuens ſe filium magni Regis & Dominum cœli & terræ eſſe, atque ideo iure cogi non poſſe, vt cuiquam tributum ſolueret. Cùm verò eidem Petro poſtea dixit: *Sed ne ſcandalizemus eos,*
Matth. 17. *vade ad mare, & ſtatere ex piſcis ore ablato, ſolue pro te & me*, hoc quidem primùm oſtendit: quoniam ſine ſcandalo atque offenſione aliorum ius ſuum tum exercere non poſſet, ideo ſe ab eo abſtinuiſſe. Iubens autem Petrum & pro ipſo Domino, & pro ſe ſoluere, declarauit eum in partem hæreditatis regni cœli & terræ ſecum veniſſe, & caput etiam familiæ ſuæ futurum, ad quem itidem pertineret pro reliqua familia ſoluere. Tunc igitur dedit Chriſtus hanc ſignificationem terrenæ ſuæ poteſtatis & regni, quod etiam aliqua ex parte exercuit, ad exemplar eius regni, quod Dauid, cùm iam rex à Deo declaratus nondum in poſſeſsione regni poſitus eſſet, viuo

Digitized by Google

adhuc Saule exercuit. Quod enim 1.Reg.16.
ſcriptum eſt de Dauide, cùm is Saulem
fugeret, omnes qui triſti & afflicto animo
eſſent, ad eum confluxiſſe, quibus
ipſe omnia neceſſaria proſpiciebat,
eoſque tuebatur: hoc idem de Chriſto
dici poteſt, cùm primùm ad eum confugerent,
qui infimæ ſortis eſſent, &
mundo deſpecti, quiq; ob delictorum
conſcientiam dolore afficerentur, ex
quibus gregem ſuū conflauit: cùm etiā
populum, qui eū ſequebatur, fame laborantem
in ſolitudine paſceret, cùm
tandē Patrē orans, & gregē illi ſuū cō- Ioan 18.
mendans diceret, quamdiu cùm illis
fuiſſet, illos ab ſe in nomine eius ſeruatos
eſſe; non ſolùm ab inimicis ſpiritualibus,
ſed etiam à corporalibus,
ac neminem ex illis periſſe, præter
filium perditionis. Siquidem hæc omnia
Chriſti facta ſimilitudinem quandam
oſtendunt eius poteſtátis regnantis;
& dominantis in terris, ad eam

pote-

poteſtatem, quam Dauid viuo Saule, antéquam in ſolio regio collocatus eſſet, obtinebat. Quæ quidem poteſtas extitit quaſi quoddam præludium futuri eius regni, quod palam poſtea geſsit, atque adminiſtrauit. Nam Chriſtus itidem eiecto Principe huius mūdi per mortem & reſurrectionem ſuā in virtute Spiritus, iactoque regni ſui ſpiritualis fundamento, temporalis etiā regni Dominus declaratus eſt, cuius tamen poſſeſsionem magis per Apoſtolos, & eorum Succeſſores, quàm per ſeipſum adiuit: quippe qui paucos dies, poſtquam reuixit, in terris manſit, nec mandata ſua Apoſtolos prius exequi voluit, quàm Spiritus Sancti afflatu regnum ipſius ſpirituale in animis eorū confirmatum eſſet. Quo facto eos in omnem terram ire iuſsit, vt ſpirituale ſimul & temporale eius regnum propagarent. Neque enim, vt ſuprà diximus, Apoſtoli vſquā ſpirituale Chriſti

regnum

Digitized by Google

regnum fundarũt,quin eodem in loco regnum aliquod terrenum ſimul reſtituerent, & confirmarent. Tum verò fundatur regnum ſpirituale,cùm fides, cùm ſpes, cùm amor in Deum per Ieſum Chriſtum excitatur atque conſtituitur. Nuſquam autem hoc fit,quin ſimul quæ ad rectam rerum humanarum adminiſtrationem pertinent, omnia in iuſtitia & iudicio confirmẽtur, & corroborentur. Ita enim ſcriptum eſt de miniſterio Apoſtolorum in regno Chriſti ſpirituali, dum Hieroſolymis adhuc verſarentur, & de ea populi parte, quæ huic regno ſponte ſe ſubiecerat, eos perſeuerantes fuiſſe in doctrina Apoſtolorum,& oratione,& fractione panis:quæ quidem omnia ad ſpirituale Chriſti regnum pertinebãt. Actor,2. De ijſdem illud etiam literis mandatum eſt, vt quiſque eorum maximè diues erat,ita libentiſsimè bona ſua cum tenuioribus & indigentibus cõmunicaſſe,

caſſe, qui primus eſt huius regni fru-
Act.4. ctus. Quòd autem ea ante pedes Apo-
ſtolorum proijciebant, quid hoc aliud
ſignificat, niſi quòd Chriſtũ vt cœli, ita
etiam terræ Dominum agnoſcebant?
Deniq; ita quiſq; domi ſuæ agebat, ſi-
cut ſcriptũ eſt, vt cibũ ſumerent in ex-
ultatione cordis & ſimplicitate, habẽ-
tes gratiam apud omnẽ plebem. Quod
quid aliud eſt, quàm domi foriſq; pace,
& bonis domeſticis hilariter & iucun-
dè à Deo frui? An non hoc modo œ-
conomica adminiſtratio, quæ prima eſt
in humanis regnis, ſatis per Apoſtolos
confirmata eſt atq; corroborata in iu-
dicio & iuſtitia? Quod autẽ de illa di-
ctũ eſt, idem de Politica, idẽ de Regali
poteſtate dici poteſt, ac deniq; de om-
ni genere humanæ gubernationis: Ea
omnia per ſpirituale Chriſti regnũ, cu-
ius principes miniſtri extiterunt Apo-
ſtoli, confirmata eſſe & corroborata.
Neq; enim ylla alia ratione corrobora-
ri verè

ri verè & confirmari poſsint. Hæc aũt à me ſunt paulò fuſius, quàm conſtituerã, dicta, vt quoniã de inſtitutione muneris Vicarij Chriſti quærimus, planius intelligas, quænam ſit eius vis & poteſtas, & quàm latè pateat. Ex quo hoc etiã intelligere poteris, eam à Principe pacis eſſe inſtitutam, qui eſt ipſe Chriſtus Dei filius, Deus & homo, qui è ſinu ſummi Paſtoris in hunc mundũ venit, ad conciliandam & confirmandã pacẽ humani generis cum Deo, cuius pacis ipſe eſt author: quæ quidem omnes, qui eã amplectuntur, hæredes Regni Dei, & ciues cœlorum efficit. Hanc autem cæleſtem hæreditatẽ conſequetur etiã pax & gaudiũ in terra, & in regno hominũ. Fundatur verò atq; conſtituitur (ſicut diximus) hoc diuinũ Chriſti regnũ quaſi quædã Ciuitas, quæ amplitudine ſua & magnitudine fines orbis terrarũ complectitur, à mari vſq; ad mare pertingẽs, Cui qui præſidet Romanus

Ponti-

Pontifex, is magni Regis locum tenet, ad corroboranda & confirmanda omnia adminiſtrationum genera, quæ in hac magna Ciuitate tanquam priuatæ domus, vel palatia in vrbibus atq; oppidis Regum terræ continentur. Sic enim regium, & œconomicum, & politicum gubernandi genus in ea comprehenduntur tanquam partes huius magnæ Ciuitatis, quæ Eccleſia appellatur: in qua qui Principem locum obtinet, is in omnes poteſtatem ſuam ad communem omnium vtilitatem & conſolationem exercere debet, vt illa ipſa, quæ diximus, regendi genera corroboret & confirmet in iudicio & iuſtitia.

Auſteritas violentaq́; gubernandi ratio, improbata adhuc veteri tabernaculo ſtante, & manu Dei ad flagellandum extenta, minus grata eſt Deo, cùm is manum in ſinum reduxerit,

xerit, vt inde proferat amoris & benignitatis theſauros.

CAPVT XXV.

FVNDATVR autem hæc ipſa poteſtas in miſericordia, eamque amor prorſus & charitas temperat ac moderatur.

VRBIN. O præclarum ac beatum tùm ſingulorum, tùm vniuerſorum ſub tali Paſtore ſtatum, ſi is, qui Paſtorali officio Chriſti perſonam gerit, eodem amore ſemper gregem ſuū regeret, quomodo ipſe deſcripſiſti, & declaraſti eſſe Chriſti amorem!

POLVS. Eſſet quidem is ſtatus talis, ſi Paſtori grex ipſe parêret, qualē Propheta ille deſcribit his verbis: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: & ouis & leo ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Iſai. 11.
Hoc enim efficitur, quoties Paſtor, qualem deſcripſimus, malitia paruu-

lus,ſed amore magnus, Regum & potentiorum animos (quorum eſt amoris expers,ac violentum imperium, & propterea ferarum nominibus apud ſacram Scripturam appellatur) ſua authoritate & exemplo ad benignitatem atque beneficentiam erga populos emollit & flectit,eodemque amore viciſsim populorum animos in ſuos rectores,tanquam filiorum in patres accendit: quandoquidem in ſummum Paſtorem infuſus diuinus amor, inſtar illius vnguenti eſt, de quo ſcribitur:
Pſal.132. Cùm infuſum eſſet in caput Araonis, per totum corpus *vſque ad fimbriam veſtimenti eius defluxiſſe*. Deflueret enim primùm in fratres ſuos Epiſcopos, deinde in reges atque Principes tanquam in barbam, & in humeros, ac per illos vſque ad infimam plebem tanquam in fimbriam veſtimenti permanaret. Nam(quod vniuerſos conſolari debet) non ab alia in terris

pote-

poteſtate proficiſci poteſt, quàm ab ea, quæ cæteris omnibus dignitate antecedens ſingulos cõplectitur. A quo autem homine in hac ipſa dignitate conſtituto hæc tanta omnium conſolatio ſperari debeat, Propheta declarat, dum de illis inter ſe amicitia coniungendis loquens, quæ natura ſunt inimiciſsima atque alieniſsima, ſic ait: *Et puer paruulus minabit eos*. Tales enim pueri ſunt ij, quorum in capita hoc vnguentum ſolet primùm infundi: quod quidem hanc vim habet, vt eo qui perfuſi ſunt, in viros fortes & robuſtos euadant, aptique efficiantur, qui vniuerſum gregem humeris portent, & quaſi Dij quidam in terris eſſe videantur, ac Patres futuri ſæculi, & pacis tùm terrenæ, tùm cœleſtis Principes, quæ pax omnium bonorum copiam atque vbertatem affert. Hæc verò omnia eò facilius, & maiori cum Gregis conſolatione Vicarius Chri-

ſti Paſtor aſſequitur, quò minus ipſe propter præclaros illos titulos, quibus ornatus eſt, ſe cæteris anteponit, quò minus dominantis ſpeciem præ ſe feret, quò minus iudicis ſeueritatem, vimque adhibebit. Sicuti verba illius primi Vicarij Chriſti in Epiſtola, qua cæteros Paſtores de modo paſcendi Gregis admonet, ſatis oſtendunt.
1.Pet,5. Sic enim ſcribit: *Paſcite qui in vobis eſt Gregem, non coactè, ſed ſpontaneè, neque turpis lucri gratia; ſed voluntariè, neque vt dominantes in clerum, ſed forma Gregis facti*. Quibus ſcilicet verbis eos deterret ab ea gubernandi ratione, quam Deus olim per Prophetam Ezechielem in veteris populi Paſtoribus reprehenderat, cùm
Ezech,34. diceret: *Et cum auſteritate & potentia imperabatis eis*. Quòd ſi hæc auſteritas, violentaque gubernandi ratio tùm improbata eſt, cùm nondum ſedes miſericordiæ, & clementiæ Dei in ter-

ris eſſet erecta, veteri tabernaculo adhuc ſtante, & manu Dei, (vt ſacræ Scripturæ verbis vtar) *extenta ad flagellandum*: quantò minus hæc nunc ratio gubernandi grata fuerit Deo, cùm is manum in ſinum reduxerit, vt inde proferat amoris & benignitatis theſauros, quos in omnes effudit per Filium ſuum, quem ad nos miſit, vt ſedem miſericordiæ erigeret, ſeque omnibus præberet exemplum manſuetudinis, & eius gubernādi rationis, quæ Deo maximè grata eſſet, maximeq; probaretur? Quod ipſe profiteri viſus eſt, cùm dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*; idque cùm cæteris omnibus ſuis actionibus planè expreſsit, tùm ea re maximè, quòd non prius Vicario ſuo cuſtoſtiam Gregis commendare voluit, quàm is amorem illum eſſet profeſſus, qui omnem violentam gubernandi rationem penitus excluderet.

Iſa. 5.

Paſtor non debet eſſe manſuetus & clemens erga ſuperbos & contumaces: hoc eſt enim inſignis crudelitas: in ligando tamen & damnando ſemper debet miſericordia exaltare iudiciū, ſic vt potius medicinæ, quàm ruinæ loco ſit ipſa damnationis ſententia, etiam illa quæ tradit hominem Sathanæ.

CAPVT XXVI.

NEC tamen quæ dixi de manſuetudine & clementia huius Paſtoris, ſic intelligi volo, vt propterea à ſuperbis & contumacibus, quales in tanto grege multos reperire eſt neceſſe, iuſtas ac meritas pœnas excludam. Quod ſi fieret, non clementia, ſed inſignis crudelitas eſſet appellanda. Quin verò id affirmare non dubitabimus, nullum alium eſſe magiſtratum, qui ſeuerius ſontes caſtiget, & puniat; ſed non prius, quàm omni

omni adhibita benignitate atque clementia, ſe nihil proficere animaduertit. Quod enim ſupplicium grauius infligi cuiquam poteſt, quàm vt è communi filiorum Dei commercio, in manus Sathanæ, tanquam è cœlo ad inferos tradatur, & abijciatur? Quæ quidem animaduerſio propria eſt huius poteſtatis, quam Chriſti Vicarius præcipuè vnà cum poteſtate clauium regni cœlorum accepit. Quod cum facit, ne id quidem prohibet, quò minus benignitas & manſuetudo propria dicatur eſſe huius poteſtatis, & Chriſti Vicarij ſolium ſit vera miſericordiæ ſedes. Non enim cuiquam regni cœlorum fores prius claudere is debet, quàm omnibus paternæ pietatis, & amoris officijs tentatis: qui verò aliter fecerit, is huius tam acerbæ adminiſtrationis præmium aliud expectare non poterit, præter id quod à Iacobo Apoſtolo

denunciatum eſt, iudicium videlicet ſine miſericordia: quod grauius eſt, quàm vt vel à iuſtiſsimis hominibus perferri queat. Ad hoc ergo Vicarij Chriſti munus, non minus pertinere dicimus ligare & damnare, quàm ſoluere & ignoſcere: ſed ita tamen damnare, vt ſemper miſericordia ſuperaltet iudicium, id eſt, vt potius medicinæ quam ruinæ loco ſit ipſa damnationis ſententia, etiam illa quæ tradit hominem Sathanæ, quo nulla grauior, nulla acerbior excogitari poteſt. Ad quam quidem ipſe nunquam deſcendet, niſi neceſsitate coactus, vt medici ad ſecandum & vrendum tum demum veniunt, cùm experientia didicerint, cæteris leuioribus remedijs ſe nihil proficere.

Quid verò ſpectare debeat is, qui hanc grauem pœnam ſit inflicturus, docet Paulus exemplo illius Corinthij. Reddens enim cauſam cur eum

Sathanæ

Sathanæ tradiderit, *vt ſpiritus* (inquit) *ſaluus fiat*. Hoc ſemper propoſitum eſſe oportet Vicario Chriſti Gregis Paſtori: ſiue indulgeat aliquid, ſiue puniat, ſiue abſoluat, ſiue damnet: omnia eò referre debet, vt ſpiritus ſaluus fiat. Qua in re quid à cæteris iudicijs & tribunalibus eorum, qui iuſtitiæ Dei ſunt miniſtri; ſuum munus differat, oſtendit, & quantum ijſdem præſtet. Illi enim quem morte damnarint, in damnatione morti relinquunt: hic autem damnat, vt damnatione liberet: morti tradit, vt vitæ reſtituat: deſtruit, vt ædificet: euellit, vt plantet. Quòd ſi dixeris, non omnes Chriſti Vicarios ad hanc normam ſuum munus dirigere atq; exercere, ſic habeto: nos non de hominibus, qui hoc munere funguntur, ſed de ipſius muneris vi, & prima inſtitutione loqui. Quod ſiquis fortè adeptus eſt, qui velit ea poteſtate, quæ ad ſalu- 1. Cor. 5.

tem,

tem, & conſolationem omnium eſt inſtituta, & quæ vna conſolari poteſt, ad oppreſsionem & perniciem tam corporum, quàm animorum abuti: non hic ſanè poteſtatem, ſed ſeipſum prodit, atque eò quidem grauius, quò maior eſt ea poteſtas, qua abutitur. Idem ergo illi eueniet, quod ex Chriſti verbis de eo Patrefamiliâs diximus, qui ſeruos, abſente Domino, cœpit percutere: *Veniet enim Dominus ea hora qua neſcit*, & diuidet eum medium, & partem eius ponet cum infidelibus, & hypocritis.

Mat.21. &.24.

Populus acerbum aut malum Paſtorem habens, iuſtè ſe talem pati confiteatur, & humiliter ſupplicet dari ſibi Paſtorem ſecundùm cor Dei.

CAPVT XXVII.

QVALISCVNQVE verò ſit hic Paſtor, vtcunque grauis, vtcunque acerbus Gregi, vtcun-

Digitized by Google

vtcunque iniuſtus: hoc populus, hoc Grex ipſe negare non poteſt, ſi ſua peccata & delicta in Deum conſyderet, quin dignum ſuis moribus, & debitis Paſtorem habeat, vt illud ſemper de malis Paſtoribus verè dici poſſit: *Qualis populus, talis & Sacerdos.* Oſee.4.
Si enim omnes omnium temporum Hiſtorias repetere volumus, hoc ſemper inueniemus: Cùm Deus populo ſuo bonos Paſtores dederit, horum ſucceſsiones non prius terminatas eſſe, quàm populus reiectis bonis Paſtoribus ſibi à Deo datis, ſuî ſimiles Paſtores aſciuerit. Ex quo intelligere poſſumus, hoc iuſtitiæ diuinæ opus eſſe de Sacerdotibus malis, quod de Regibus iniuſtis & tyrãnis ſacra Scriptura affirmat, apud quam ita Deus loquitur: *Propter peccata populi dabo* Iob.34.
illis regem hypocritam. Quòd ſi populus ſuo malo edoctus id tandem agnoſcat, vt iniuſtum principem nactus

ctus à quo vexetur, primùm iure ſe hoc pati confiteatur: Deinde ad Dei miſericordiam propria peccata deflens ac ſupplex confugiat, poſtuletque ſibi dari Paſtorem, non ſecundùm cor & mores ſuos, ſed ſecundùm cor Dei, qui ipſum principem Paſtorem gubernandi ratione referat, qui talis ſit, qualem nos Eſaiæ verba ſequuti, vtcunque adumbrare conati ſumus. tùm quidem, quin Deus eum conſolari velit, dubitare nequaquam debet.

Boni Paſtoris electionem magis à zelo Dei, quàm ex humano iudicio pendêre: Et, cur quò quiſq; vita et moribus ad Chriſti ſimilitudinem propius accedit, eò minus prudentum hominum iudicio ad Vicarij Chriſti munus gerendum aptus exiſtimetur.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

HOC autem quoties contigerit, exiſtimare oportet, maius eſſe beneficium, maiorem cõſolationem, quàm vt hominũ iudicio, qui talẽ elegerint, attribuendum ſit. Vt enim Chriſtum, qui ſummus atq; vnus verè ſalutaris Paſtor & fuit, & eſt, non ſibi aſciuit hominum iudiciũ, non electio, ſed charitas Dei Patris, qui *ſic dilexit mundum, vt vnigenitũ Filium ſuum* illi Paſtorẽ daret: ita quoties Paſtor eiuſmodi delectus ſit, qui Chriſti ſalutarẽ paſcendi rationẽ ſequatur, eius electionem nõ tã ab hominũ volũtate, ac ſtudijs profectã eſſe, quã ex eo quod Eſaias hãc ipſam de Chriſto prophetiã cõcludens dicit: *Zelus Domini exercituũ faciet hoc*. Ex quo quidem zelo, magis quã ex humano iudicio aut fauore, eiuſmodi pẽdet electio. Dicã nũc quod maius, & admirabilius eſt: quãtò quis priuatam vitã agens, Chriſti ſimilior erit: Ioan. 3. Eſaiæ. 9.

tantò

tantò minus aptus ad regendum id munus iudicijs hominum exiſtimabitur, vt ſi delectus fuerit; id non humano iudicio factum, ſed Dei zelo verè dici poſsit, qui miris occultiſque modis animos hominum propè inuitos, contraque ſentientes ad huiuſmodi eligendum impulerit. Quo enim aliquis prudentia duntaxat humana inſtructior fuerit, hoc minus ad eum deligendũ propẽſus erit, qui præ cæteris Chriſti ſimillimus videatur.

VRBIN. An hoc dicis, quò quiſque vita & moribus ad Chriſti ſimilitudinem propiùs accedit, eò minus illum prudentum hominum iudicio ad Vicarij Chriſti munus gerendum aptum exiſtimari?

POLVS. Ita prorſus. Huius autem rei (ne te diutius ſuſpenſum teneã) ea cauſa eſt, quòd homines prudentes in maximis muneribus alicui commendandis, duas potiſsimum vir-

tutes, quæ in omni Reipublicæ admi-
niſtratione maximè inſignes viden-
tur, & neceſſariæ, prudentiam atque
animi fortitudinem ſpectare ſoleant:
quæ in ijs, qui Chriſti maximè ſimiles
ſunt, cùm minus perſpicuè cernun-
tur (licet in ipſis quàm in alijs verius
inſint) cumquè homines, non vti 1. Reg. 16.
Deus, qui apud Samuelem, *non iuxta
intuitum hominis, ego* (inquit) *iudico,
ſed intueor cor*, ſed ex his quæ appa-
rent, iudicium faciunt: idcirco cùm
delecturi ſunt cui maximum munus
deferant, circumſpicere ſolent, an
aliqua in eo ſint harum virtutum in-
dicia: & meritò id quidem. Nam
cùm aliter homines nō poſsint, cum-
que nullum in eo inſigne eiuſmodi
virtutum exemplum viderint (is enim
qui Chriſti cæteris ſimilior erit, pri-
uatus cùm ſit, minorem ſemper quàm
alij, prudentiæ & fortitudinis ſpeci-
em præ ſe feret) nunquam ſanè eum
pru-

prudentes homines tanto oneri ſuſtinendo idoneum cenſebunt. Proinde neceſſe eſt, vt in tali viro deligendo non hominum iudicium, ſed Dei zelus præeſſe intelligatur.

VRBIN. Qui verò hæ virtutes, in quo re vera inſint, ita poterunt latêre, vt hominum iudicia prorſus fallant?

POLVS. Cùm Dux ipſe noſter & caput Chriſtus, fonſque omnis gratiæ & veritatis, ex quo hauſerunt omnes, complures annos, tanquam in horto concluſo, & in fonte ſignato, atque ab omni hominum aſpectu remoto, ſuas virtutes incluſas & occultas continuerit: idem quoq; minimè mirum videri debet eius ſeruis & membris accidere, vt ad capitis ſui exemplum eorum virtus & gratia hominum iudicia lateat, donec qui eam dedit & abſcondit, pro ratione alicuius muneris ei commendati in lucem proferri

velit.

Digitized by Google

velit. Quòd ad duas illas virtutes attinet, prudentiam & fortitudinem: vt quiſque Chriſti ſimillimus erit, ita maximè dum priuatam vitam aget, non modò his carere, ſed contrarijs vitijs laborare, imprudenſque & puſilli animi eſſe humanis oculis ſemper videbitur. Huius autem rei illa eſt cauſa, quòd qui diuitijs, opibus, honoribus, & quæcunq; alia vitæ hominum vtilia, commoda, iucundaq; ſunt, comparandis maximè attentus eſt atque induſtrius, is hominum opinione prudentiſsimus habetur. Quoniam verò hæc ſine animi fortitudine non acquiruntur, quæ cum prudentia ſe coniungens, admotis aut ſuperatis impedimentis omnibus, ad eas res parandas ſibi aditum patefecit: ideo qui ita ſe gerit, is prudens, & fortis, & ad gubernandum Rempublicam accōmodatus exiſtimabitur. Neque vnquam adduci poterunt homines prudentes, ac ſeip-

ſos amantes, vt magnam aliquam ei prouinciam adminiſtrandam committant, niſi nouis & inſolitis illis rationibus, quibus Deus in conſtituendo Regno Filij ſui vſus eſt, eum contra iudicium, contraque hominum opinionem extulerint.

VRBIN. Quænam ſunt eæ rationes, quibus vſus eſt Deus, vt Filij ſui regnum in hoc mundo conſtitueret?

POLVS. Illæ nimirum, quas antè cõmemorauimus arcanum Dei conſilium explicãtes: eaſdem verò Moyſes expreſsit, cùm de illo futuro ſæculo vaticinaretur, quo Deus zelum ſuum oſtenſurus eſſet in populi ſui poſſeſſione ſibi vendicanda. Sic enim apud illum Deus prudentes illos, qui ſapientiam Diuinam tanquam inutilem, & fortitudinem vt imbecillem infirmamque ſpreuerant, ac repudiârant,
Deut.32. alloquitur: *Ipſi prouocauerunt & irritauerunt me in vanitatibus ſuis, & in*

eo qui

eo qui non eſt Deus : & ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, et in gente ſtulta irritabo illos. Hæc autem Chriſti aduentu perfecit Deus. Neque enim Gentiles ſolos, qui ipſum antea non cognouerant, quique ſic à Iudæis deſpiciebantur, vt gens ſtulta vocarentur, ſibi in populũ aſciuit : verùm etiã vt prudentiã ac fortitudinem humanam prorſus confutaret ac refelleret, hominibus, qui mundo inſipientes, & imbecilles videbantur, Gregem ſuum gubernandum tradidit. Qui tamen ampliſsimum hunc principatum, cuius nunc Rectorem quærimus, ipſi cõſtituerunt atque fundarunt. Hic autem talis eſt, vt nullum adhuc ex ijs, qui ſapientia virtuteq; humana conſtituti ſunt, parem, nedum maiorem mortales viderint : cùm tamen nihil ſit, quod ſapientes forteſque homines maiore ſtudio & labore contenderint, quàm vt Imperia, vt Regna, vt Prin-

cipatus ſuos amplificarent, & confirmarent. Quo in genere hi cæteris maximè præſtiterunt, qui ſeſe vltrò his hominibus regendos tradiderunt, qui imprudentes, imbecilles ac timidi vulgò habebantur. Atque vt ſummi huius Principatus initium nullæ rei, niſi zelo Dei poteſt aſsignari, cui ita libuit hominum ſapientiam fortitudinemque refellere: Sic admodum veriſimile eſt fore, vt velit eundem peruerſa ratione gubernandi eorum, qui humana ſapientia & fortitudine nixi ſunt, labefactatum ac penè conuulſum eodem modo reſtituere, atque inſtaurare. Id autem eueniet tum, cùm ſimiles eorũ, à quibus conſtitutus eſt, gubernatores illi à Diuino zelo & prouidentia præficiantur. Quamobrem ſi aliquãdo hominum ſtudia ad talem virum, qualem deſcripſimus, eligendum conſentiant: id eos arcano ac Diuino impulſu facere, exiſtimandum erit.

Sic

Sic vt cùm Propheta, cùm hoc euenerit, dicendum ſit: *Zelus Domini exercituum fecit hoc.* Atq; hæc iam ſatis ſint ad explanationem eorum verborum, quæ in extrema parte huius Prophetiæ ab Iſaia dicta ſunt, vt enumeratis, & pro noſtra virili parte, ac temporis anguſtia explicatis præcipuis illis honoris titulis, ex quibus cùm onus huius Paſtoris, tùm eiuſdem officij ratio, & magnitudo melius intelligi poſſet, ſermonum finis imponendus eſſe videatur. Niſi fortè, quò maiora hæc eſſe demonſtrauimus, eò diſtinctius explicari deſideras, quibuſnam præſidijs fretus, tantum maieſtatis nomen, quantum vel hoc vno titulo Vicarij Chriſti cõtinetur, & tantum Imperiũ, quod vniuerſum terrarũ orbem complectitur, vnus homo imbecillis, & prudentiæ ac fortitudinis humanæ armis ſpoliatus (quibus maximè res humanæ ſuſtinentur) regere ac tueri poſsit. Eſaiæ. 9.

Quomodo vnus homo molem Imperij in totum orbem terrarum optimè ſuſtinere poßit.

CAPVT XXIX.

VRBIN. ID verò ſi antè non deſiderabam, tamen abs te nunc admonitus, non poſſum non valdè & deſiderare, & requirere: vt paulò ſubtilius & diſtinctius hæc, quæ dixiſti præſidia eſſe ad tantum onus ſuſtinendum, explices.

POLVS. Sic igitur primùm habeto, omnes omnis honoris Titulos, & ſimul totius orbis terrarum Imperium ita ſummum Pontificem optimè tueri poſſe, ſi nihil ſibi in tam multis tamq; honorificis honoris titulis, nihil in tam latè patente imperio commodi proprij vindicet atque arroget: Sed hoc totum, quicquid eſt honorificum, Domini gloriæ, quicquid eſt vtile, ipſi Gregi ſemper tribuat. Hoc autem etſi

ſæpo

ſæpe iam diximus, tamen quia hinc principium & fundamentum omnis rectè gubernandi rationis exiſtit, idem libenter repetimus. Tu verò nunc ſi quæras, quanam ope, quibus præſidijs, qui hoc fundamentum in animo ſuo iam conſtitutũ & poſitum habet, quod reliquum eſt in tanto munere tueri, & præſtare poſsit: hoc ſcito, ex vno atq; eodem fonte omnia auxilia, & adminicula ad tantum Imperium gerendum manare. Quandoquidem eſt ille fons, de quo Propheta ille vaticinatus eſt: *Et erit fons patens domui Dauidis, &c.* Zach. 13. Hunc ergo fontem, & aquas quæ ex eo fluunt atque hauriuntur, ſi noueris: omnia noueris, quæ ad tuendam & ſuſtinendam tantam perſonam, & tantum onus pertinent. Sed ne te diutius teneam, fons ille de quo nunc loquimur, eſt ipſe Chriſtus, ipſe Dominus, omni veritate, omni gratia plenus. Aquæ verò, quæ ex ipſo, & per ipſum

ad nos defluunt, ſunt cœleſtis ſpiritus munera, de quibus ita ſcribit Iſaias,
Iſa.11. de Chriſto loquens: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ et pietatis, & replebitur ſpiritu timoris Domini.* En, vides quot & quanta ſint ad bene regendum præſidia, atque adiumenta: ex quibus cùm Rex ille Salomon, omnium regum quotquot ante ſe floruerunt fœliciſsimus, vnum duntaxat nominatim ſibi à Deo ad bene regendum populum poſtulaſſet, atque impetraſſet: omnia ſe conſecutum, quæ ad beatam vitam vel ſuam, vel populi pertinerent, exiſtimabat. & maius quidem extitit illud vnum, quod Salomon à Deo impetrauit, quàm reliqua omnia humana præſidia, pluſque illi ad bene fœliciterque viuendum attulit. An recordaris qualénam illud præſidium fuerit?

VRBIN. Cupio quidem id mihi abs te declarari.

POLVS. Hoc ipſe ſatis declarat in ea precatione, qua ſuſceptis regni gubernaculis, vſus eſt: Itemque in ſua ad eũ reſponſione, conceſſo quod poſtularat, Deus ita explicat, vt valdè probet iudicium eius, quòd ſciret qua potiſsimum re ad regnum vocato ſibi opus eſſet, ad bene fœliciterque regnandum: quæ neque in diuitijs, neq; in potentia, ſed in ſapientia conſiſteret. Hanc igitur poſtulauit, quam cùm Deus illi dediſſet, ea etiã adiecit, quæ non poſtulauerat: externa ſcilicet diuitiarum, & opum adiumenta. Quòd ſi hoc diuinæ ſapientiæ præſidium tãti æſtimatum eſt, non ſolùm à Salomone, ſed etiam ab ipſo Deo, vt plus vnum momenti ad bene beateque regnãdum, quàm reliqua omnia externa fœlicitatis præſidia haberet: quot hæc ſecum afferret? Id autem ciuilium rerum 3.Reg.3.

rum

rum & cauſarum fines ac terminos nō excedebat. Data enim eſt illi ſapientia ad dijudicandas omnes, quæ ſolent oriri inter ciues, controuerſias, eaq́ue omnia, quæ ad ciuilem ſtatum tuendũ pertinent. Quantum, inquam, tandem æſtimandum erit id, quod ipſi Chriſto ſummo Paſtori datum à Deo, ad eius Vicariũ delatum eſt, vt iudicet, non tã in rebus ciuilibus, quàm in ijs quæ ad cauſas pertinent, quæ inter Deũ & hominem verſantur, vt ſapiẽtia præditus ſit ad diſcernendum iudicium? Quod Propheta de Chriſto ſic exprimit, cùm ſuperiora illa Spiritus dona, de quibus modò diximus, enumeraſſet, hoc adiungens: *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iudicio pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Quod quidem iudicium tantum eſt, vt eo non ſolùm ſignificetur id quod apud Prophetam

Eſaiæ.11.

eodem

eodem loco ſequitur: *Abundantia pacis in terra*, quam quidem ille talem fore prædicit, vt habitare faciat lupum cum agno, & pardum cum hædo, de quo tranquilliſsimo & fœliciſsimo ſtatus genere nõnulla antea diximus: ſed illud etiã futurũ, vt Paſtor ipſe Chriſti Vicarius, ipſum cœlũ, & quicquid illic cœleſtis virtutis ſit, ad ſuum, & Gregis ſui adiumentum, & opem ſecum afferat, poſtquam illuc fide, & ſpe, atq; amore Chriſti, qui omnia hæc dona cœleſtia complectitur, aſcenderit. Hîc verò ſatis videtur, cùm de præſidijs atque adminiculis vicarij Paſtoris, quæ ad gregem Chriſti tuendum pertinent, quæramus, dicere: eum ſtudio regendi affectum, & Dominum ſuum & Patrẽ eius apud ſe habere. Ita enim ipſe Chriſtus pollicetur, ſe congregatis in nomine ſuo, ſuique amantibus affuturum: *Ego* (inquiens) *& Pater meus ad eum veniemus, & manſionem* Ioan.14.

apud

Ioan.14. *apud eum faciemus*. Id autem vbi ſit, quod genus auxilij abeſſe poterit? Sed tamen quia diſtinctius tibi explicari poſtulaſti, quo præſidiorum genere fretus hic Paſtor tantum gregem ſine præcipuis illis prudentiæ & fortitudinis humanæ adiumentis regere poſsit, & contra omne genus aduerſariorum tueri: hoc primùm intelligas oportet, vt nõ ſimplex genus eſt aduerſariorũ, neque enim ſolùm (vt ait Apoſtolus)
Epheſ.6. *eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpirituales nequitias in cæleſtibus*: ita non ſimplex debet eſſe ipſum præſidium, ſed multiplex: cœleſte videlicet, & terrenum. Cœleſte verò præter id, quod modò diximus de Patris & Filij præſentia vnâ cũ ipſo Spiritu, quod vnum omne genus præſidij contineat, habet etiam vniuerſam militiam cœleſtem Angelorum: qui *omnes ſunt adminiſtratorij*
Heb.1. *Spiritus, miſſi eorum cauſa, qui hæreditatem*

tatem capiunt ſalutis: deinde in terris cunctam Eccleſiam tanquam caſtro- Cant.6.
rum aciem ordinatam ad exemplum illius cœleſtis militiæ, in qua vt primi numerantur, qui Deo ſunt maximè propinqui, Cherubin, & Seraphin, & Throni, tùm Dominationes, Principatus, & Poteſtates, poſtremo loco Virtutes, Archangeli & Angeli: ita in hac Eccleſia, cui, tanquam Deus quidam & homo, qui Vicarius Chriſti Dei & hominis eſt, Romanus Pontifex præeſt, ſi quis conſideret eos qui proximè ſequuntur Cardinales, & eorũdem tres diſtinctos Ordines: Deinde Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, poſtremò aũt Abbates, Præpoſitos Eccleſiarum, Doctores, & reliquos Eccleſiæ miniſtros, qui omnes ad Eccleſiæ miniſterium eius vnius authoritate deſcripti ſunt, atque ordinati: intelliget nullum in vniuerſo terrarum orbe eſſe officij genus, quod quidem ad
vtili-

vtilitatem Eccleſiæ pertineat, ad quod non ſummus Pontifex fideli & vtili iſtorum opera vti poſsit. Cùm verò is gazophylacij Eccleſiæ, vbi cœleſtes theſauri in Sacramentis tãquam in arculis & armarijs poſiti reconduntur, ipſe claues habeat, & ſummã autoritatem, ſummumq́ue ius illos pro vſu atq; vtilitate Eccleſiæ diſpenſandi: in tanto miniſtrorum numero, & horum quidẽ maximè fidelium, & ad omne miniſterij genus paratiſsimorum, cùm eò accerſentur, & in tam infinito theſauro, quid illi deeſſe poterit, vel ad paſcendum, vel ad tuẽdum Chriſti Gregem, (etiãſi is tantus ſit, qui vniuerſum terrarum orbẽ complectatur) modò illis ipſe vti & velit, & nôrit? quorum vtrumq; amore Chriſti præſtabit. Nec verò duntaxat eorum opera vti poterit, qui ſecum viuunt, quiq́; ſuo ſæculo ſunt æquales: ſed omnium ſuperiorum ætatum, quicunque populo

Dei vnquam miniſtri fuerunt, tùm eorum qui in noua hac vinea Domini colenda in noua Hieruſalem quæ de cœlo deſcendit, fabricanda laborarũt (quorum maximè eſt copia, eaque vt modò diximus, magna varietate poſita) qui ſucceſſerunt ijs, de quibus ſcribens Apoſtolus: *Quoſdam* (inquit) *poſuit Deus in Ecclesia, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas. &c.* quorum extant dicta, ſcripta, exempla, inſtituta, Decreta, leges, ex quibus fructum ipſe nunquam capere non poſsit: tùm eorum etiam, qui ad veterem vineam colendam, quam Deus ex Aegypto tranſtulit, operas ſuas contulerunt, & Ieruſalem terrenæ ſeruierunt, in quibus eſt Moyſes primùm, deinde Prophetæ omnes. Horum verò opera multò ſanè vberiori cum fructu noui gregis ſummus Pontifex vti poterit, quàm illi ipſi veteres duces ſuo populo nauare potuerunt, etiamſi ad illius 1. Cor. 12.

ſalutem

ſalutem & commodum maximè ſemper incubuerunt. Imo etiam maiora bona, quæ vetus populus, Moyſe & Prophetis ita promittentibus, expectabat, hic nouo populo reipſa diſtribuet. In hæc vero, id eſt, in labores Prophetarum intrat, non tanquam aduena & peregrinus, ſed tanquam hæreditatis ſucceſſor, non ſolùm eorũ qui Moyſen ſequuti ſunt, ſed ſuperiorum etiam Patriarcharum & Prophetarum. omnes enim ſua illi bona, vt Vicario & cohæredi Chriſti, quaſi teſtamento reliquerunt. Chriſtus verò ipſe, qui eſt verus hæres vtriuſq; teſtamenti & Abra-
Rom. 4 hæ, ac propterea vt eſt apud Scripturam, verus hæres mũdi, ſuo Vicario in partem hæreditatis aſcito nihil ſecluſum, nihil ſeparatum in vniuerſo orbe reliquit, ex quo is non aliquem fructum capere poſsit ad ædificationem Eccleſiæ, quæ eſt corpus & ſponſa eius: ad quam ornandam, non ſolùm

data

data ſunt ei ſpolia vnius Prouinciæ AEgyptiorum(quæ olim veteri populo ad ornandum vetus Tabernaculum data fuerant) ſed omnia omnium prouinciarum ſpolia. Quicquid enim vnquam in quacunque prouincia ab aliquo Philoſophorum, vel Legislatorum, & omnis generis Scriptorum, ad vitæ rationes & commoda vlli populo datum eſt: id totum in poſſeſsionem cedit, & ad vſum noui Gregis Chriſti refertur, ad quem omnia illa promiſſa pertinent, de quibus Propheta: *Et lac Gentium ſuges, & mamilla Regum lactaberis*, adeoque nihil in vniuerſo mundo ab eius iure & authoritate, cui commiſſa eſt tam melliti Gregis cuſtodia, eſt ſecluſum, vnde is non aliquem fructum capere poſsit, vt vel Sathan ipſe, qui ſeſe perdit vt alios ſimul perdat, ei tanquam vtilis ſeruus ad rebelles coercendos puniendoſque obtemperare Eſa, 60.

cogatur. Ex quo quidem & cæteris, quæ modò dixi, illud verè concludere poſſumus: ſi Vicarius Chriſti ſtudium ſuo Domino ſeruiendi retinuerit, qui & Deus eſt, & homo, omnia ei tanquam Deo ad ſeruiendum parata fore: ipſum autem tanquam hominem, ex omnibus rebus fructum ſaluberrimum & iucundiſsimum percepturum.

Quò quis ſuam infirmitatem & imprudentiam magis agnoſcit, eò propinquior eſt fonti omnium bonorum, vt inde ſpiritu precum expeditiſsimum modum hauriat.

CAPVT XXX.

QVAE cùm ita ſint, non hîc iam quærendū erit, quomodo vnus homo & imbecillis tantam imperij molem ſuſtinere poſsit: cùm præſertim ex ijs, quæ iam diximus, ſatis con-

conſtet, eiuſmodi imbecillitatem, & (vt ita dicam) paupertatem, eius prudentiæ, quam homines in adminiſtrandis rebus humanis adhibere ſolent, nō modò ad res magnas & præclaras in Eccleſia gerendas non impedimento eſſe, ſed maximum potius adiumentum adferre. Id quod magis etiam intelliges, ſi exempla quæras eorum, qui res Eccleſiæ male gubernauerunt. Hoc enim ſemper inuenies, inde profectum eſſe vniuerſum malum: quòd illi non ſatis hoc humanæ prudentiæ genere fuerint ſpoliati. Contrà verò, qui ſeſe magis imbecilles atque omnibus animi viribus deſtitutos agnouerunt, horum res geſtas cùm maximè ſalutares extitiſſe, tùm etiam prudentiæ pleniſsimas. Quod inprimis eorum exempla comprobant, qui primi ex tam humili ſtatu in oculis hominum, ad tam altum dignitatis gradum coram Deo & hominibus eue-

ſunt. Ab his ſi (vt debes) viam rationemque ſapienter adminiſtrandæ Eccleſiæ petas: vt tua te prudentia ſpolies, omnes hortabuntur. Ex quo
i.Cor.3. illud Apoſtoli Pauli ad Corinthios: *qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*. Idemque cùm de ſe ipſo loquens dicere non dubitaret, *Plus omnibus laboraui*: tantum abeſt, vt quicquam ſuæ prudentiæ & induſtriæ, ac ſui animi & corporis viribus tribueret: vt de ſuis infirmitatibus ſe maximè gloriari diceret, quò virtus Chriſti in ipſo magis inhabitaret. Vt enim quiſque maximè Chriſtum ſequutus ſuis ſe bonis ſpoliatum ſentit, ita maximè propinquus eſt fonti omnium bonorum, eique facillimus eſt atque expeditiſsimus inde hauriendi modus.

VRBIN. Quinam eſt, quæſo, iſte tam facilis hauriendi modus?

POLVS. Hunc etiam Salomon

exem-

exemplo ſuo indicauit, cùm Deum precatus magnum illud ſapiētiæ præſidium ad iudicandum populum, ex hoc ipſo fonte hauſit. Omnis enim præſidij cœleſtis tanquam aquæ ex fonte illo petendæ atque hauriendæ modus eſt ipſa precandi ratio, quam Salomon ſic explicat, cùm primùm ſibi regnum diuino conſilio ac numine, non ſuo ſtudio, non opera delatum agnoſcit. In quo illud etiam agnoſcit, populum, quem regendum ſuſcepiſſet, eſſe Dei populum, & infinitum, qui numerari non poſſet. Se verò paruulum, minimeque ad regendum aptum, ignorantem egreſſum & introitum ſuum, neſcientem, quò ſe verteret, vnde inciperet, quóue ſuum regendi munus dirigeret. Habes modum hauriendi omne præſidium ad regendum. Idemque eſt modus quem Propheta ille ſignificauit, cùm de hoc ipſo fonte ſcribens ſub perſona Dei, accedenti-

bus ad illum ita promittit: *Dabo illis*
Zach.12. *ſpiritum gratiæ & precum.* Modus ergo hauriendi aquas ex hoc diuino fonte pendet ex ſpiritu precum & gratiæ. Is verò maximè precatur, qui ſuam imbecillitatem maximè agnoſcit. Modum autem hunc hauriendi ille in primis docuit, qui ſe imbecillem propter nos fecit, ipſe fons gratiæ Chriſtus Ieſus. Qui poſtquam primum fontem periculorum & totius mali Gregi ſuo oſtendiſſet, cùm diceret:
Lucæ.22. *Sathan expetiuit, vt vos cribraret tanquam triticum*: tum ad Paſtorem Vicarium ſuum ſermonem conuertens, adiunxit: *Ego verò rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Quibus verbis & fontem omnis præſidij, bonorumque omnium, & modum, quo quiſque haurire ex eo poſſet, indicauit. Petrus ergo Chriſti Vicarius, precibus & gratia Domini ſui, qui ſemper viuit, & interpellat pro nobis,

& eius

& eius exemplum ſequens, quotiens ſibi aliquo præſidio opus fuerit ad tutandum Gregem ſuum, ad orationem ſe conuertet. Quoniam autem ſemper opus eſt, ideo ſine intermiſsione orabit, ſeque vniuerſæ Eccleſiæ precibus, tam eorum qui ſunt in cœlis, quiq́ue iam beatè regnant, quàm viatorum, & adhuc in terris militantium commendabit, qui iam ſpe beatitudinis viuunt. Hoc enim orationis præſidio nullum poteſt eſſe maius, nullum firmius, vel ad conſeruandum Gregem in Pace, vel ad tutandum in periculis contra omne genus aduerſariorum, vtpote quod omne genus præſidij continet, & per quod quicquid vbique eſt ad eum perueniet.

Summatim repetit quæ hactenus dicta ſunt: & recenſet quæ dicenda reſtant.

CAPVT XXXI.

HAEC hactenus & de genere auxilij, quo maximè ad regendum Gregem Paſtor Vicarius Chriſti vti poterit,& de modo eius parãdi. Satis etiam de reliquis omnibus, quæ ad explanationem vniuerſæ quæſtionis de ſummo Pontificatu tibi hoc loco, & hoc tempore cognitu neceſſaria eſſe duximus. Oſtendimus enim primùm, omnes Romanos Pontifices, qui ſuffragijs hominum legitimè eliguntur, Vicarios eſſe Chriſti ſummi illius & æterni à Deo conſtituti Pontificis: quando item ab ipſo Chriſto inſtitutum ſit,& cui primùm hoc munus commendatum, & ad quos poſtea tanquam per manus traditum peruenerit, tùm ex Scripturis, tùm ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine declarauimus: deinde exponentes quos Chriſto vt ſummo Pontifici ac Paſtori hominum

minum honoris titulos Prophetæ tribuerunt,& quos ipſe dum in terris Paſtoris munus obiret toto vitæ curſu,& ipſa morte expreſsit, ſimul expoſuimus, quibus in rebus vis & poteſtas ſummi Pontificatus conſiſtat. Cùm verò de Grege loquentes, eas notas indicauerimus,ex quibus Paſtor & faciem pecoris ſui facilè agnoſcere poſſit,& ab alijs gregibus,qui ſuos etiam à Deo cõſtitutos Paſtores habent, nullo negotio diſcernere: quem modũ præterea regendi, & paſcendi eius ab alijs diuerſum,& infinitis partibus præſtantiorem oſtenderimus: poſtremò aũt quibus præſidijs fretus Paſtor Gregem ſibi cõmendatum, ab omni malorum genere tueri,& omniũ bonorum abundantia cumulatum reddere queat, explicauerimus (etſi nunquam quidem ſatis pro rei magnitudine) tamẽ ne rudis omnino videare in hoc,quod nunc tibi eſt commune cum reliquis Col-

legis

legis tuis, eligendi ſummi Pontificis munere, ſatis abundè dictum videri poteſt. Neq; enim hæc eiuſmodi ſunt, quæ vno ſermone vel à peritiſsimo homine & eloquentiſsimo explicari, vel ſemel audita ab ingenioſiſsimo memoria animoq́; comprehendi poſſint: ſatiſq́ue hoc ſermone me feciſſe exiſtimabo, ſi in tanto negotio, quò tanquam ad ſcopum quendam cogitationes & actiones tuas referre debeas, à me tibi oſtenſum fuerit. Qua in re, me non fruſtra laboraſſe cōfido. Eadem autem ſi diſtinctius ſcire deſyderas, quod certè deſyderare debes (ſunt enim vtiliſsima, & ad cognoſcēdum tibi perneceſſaria) ſæpius quidem meditanda erunt, atque cum doctis viris, & vſu atque experientia rerum diuinarum exercitatis conferenda. Quod vt facias, te valdè hortor. Nunc verò, niſi tibi ſecus videtur, finem tam longo ſermoni nobis

bis imponendum ſentio.

VRBIN. Terminum quidem præſcribere huic noſtro ſermoni, tui ſemper iudicij & arbitrij fuerit: quē tamē, ni tibi moleſtum ſit, paulò longius proferre velim, quoad tuam ſententiam mihi explicâris ijs de rebus, quæ non tam mihi, quàm amicis quibuſdā meis, quibus tuum promiſſum in hoc genere expoſui, occurrebant, dignæ de quibus tuam ſententiam quærerem, ſi fortè eas ipſe præterijſſes. Hæc autem ſunt duo illa capita, quæ coniunctim ſemper ſolent tractari ab ijs, qui de vi & poteſtate ſummi Pontificis in Concilijs Generalibus inquirunt: eóne iure eaque poteſtate ſit in vniuerſos Epiſcopos ad Concilium coactos, quo tempore exiſtimantur vniuerſam Eccleſiam repræſentare, qua vti ſolet in ſingulos extra Concilium. Deinde verò quid iuris, quid poteſtatis habeat in Imperatores, Reges, & reliquos

Prin-

Principes Chriſtianos. Hæc ſunt, quæ antequàm huic ſermoni finem imponas, partim mea ſponte, partim ab amicis admonitus abs te velim cognoſcere: ſaltem vt de his ſummam ſententiæ tuæ mihi exponas, ſi fortè eam fuſius explicarì temporis anguſtia non patitur.

POLVS. Summam verò meæ ſententiæ de vtraque re exponere, neque erit difficile, neque mihi ſanè moleſtum. Quod autem ad poſteriorem quæſtionem attinet, qua de iure & poteſtate ſummi Pontificis in Imperatores & Reges quæritur: videor mihi ſatis, quid de hac re ſentiam, explicaſſe tum, cùm de me quæreres, quo pacto quem ſeruum Principum vtiliſsimum eſſe dixeram, eundem in illos ius & poteſtatem maximã habere affirmarem: itemq; cùm exponerem, quo pacto is ſedeat ſuper ſolium Dauidis, vt corroboret illud atque confirmet.

firmet. Quòd ſi quæ tum dixi,non ſatis tibi adhuc meam ſententiam explicârunt, alia adiungam, quæ ea magis explicent.

De vi & poteſtate ſummi Pontificis in Concilijs Generalibus,

CAPVT XXXII.

NEQVE ijs difficultatibus eſt implicita hæc poſterior quæſtio, quibus prior, quæ multis doctis viris materiã dedit magna ſcribendi volumina. Quòd ſi meam duntaxat ſententiam requiris, eadem ſanè eſt, quam doctiſsimus quiſque & pietatis atque pacis Eccleſiæ ſtudioſus ſequitur. Ita enim prorſus ſentio, nuſquam magis vigere authoritatem Romani Pontificis, quàm in ipſo Generali Concilio: vbi tanquam in theatro quodam, quò omnes Eccleſiæ Paſtores conueniunt, prouidentia Dei voluit

luit eũ Chriſti partes agere. Quòd ſi Epiſcopi in Concilio congregati corpus Eccleſiæ repræſentant: quando per Deum immortalem is, qui locum ſupremi capitis in ea tenet, ſuam authoritatem à Deo ſibi datam melius aut oportunius exercere poterit, quàm quo tempore coniunctus eſt cum his, qui corpus ipſum repræſentant? Sic verò melius intelligemus, qualémnam poteſtatem obtineat in Concilijs Generalibus Chriſti Vicarius, qui Petri ſedem tenet, ſi originem & materiam Conciliorũ, qualis ſit, prius conſyderauerimus. Quam Chriſtus ſatis ſignificare eſt viſus, cùm ad Apoſtolos & Diſcipulos ſuos, è quorum numero tum Petrus vnus aderat, tanquam ad corpus Eccleſiæ ſuæ ſermonem conuertens, dixit: *Sathanas expetiuit, vt cribraret vos tanquam triticum.* Ecce hîc omnium Cõciliorum origo & via: nempe omnia quæ Sathanæ malitia ad

pertur-

perturbandam Eccleſiæ pacem ſunt excogitata, qualia ſunt ſchiſmata, hæreſes, & bonorum morum corruptelæ in Eccleſia, zizania per illum in medio tritico ſata: ad eaque purganda atque euellenda, Concilia ipſa coguntur. Modum verò purgandi Chriſtus eodem in loco tradit. Poſtquam enim perniciosum Sathanæ conſilium Eccleſiæ ſuæ aperuiſſet, ſtatim ſubiūxit, non iam ad fidelium cœtum tanquam ad corpus, ſed ad vnum de corpore quaſi caput, quem Vicarium ſuum cōſtituerat, ſermonem dirigēs: *Ego verò rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Quibus verbis ſi nihil præterea addidiſſet, videri fortaſſe potuiſſet, eum ſalutis vnius Petri rationem habuiſſe. Et habuit quidē maximam, vt per illum, tāquam per caput, omnibus totius corporis malis & incommodis mederetur. Quare ſtatim adiunxit: *Et tu conuerſus, confirma fratres tuos*.

Quibus

Quibus ex verbis quantum authoritatis datum ſit Petro, facilè colligemus, ſi primùm quinam tum erant Pontifices conſideremus. Hos verò conſtat fuiſſe Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti, qui tum Eccleſiæ corpus conficiebant. Apoſtoli autem nónne ijdem erant, quos ipſe Chriſtus conſtituerat Paſtores orbis terræ, cùm illis dixit: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Cui ergo tunc mandatum eſt, vt fratres ſuos confirmaret in ea fide, in qua ipſe per Chriſti preces confirmandus erat: huic ſimul tradita eſt cura omnium Paſtorum orbis terræ. Tales enim tum erant Apoſtoli. Hanc verò poteſtatem, hanc authoritatẽ Petrus primùm exercere cœpit in primo illo Concilio Hieroſolymis coacto, ad ſeditionem illam ſedandam, quæ in Grege recens ad fidem conuerſo erat coorta, vt ſcribit Lucas: quod vnum eſſe di-

ximus ex illis zizaniјs, quæ materiam legendis Concilijs dare ſolent. Ecquid autem aliud hoc malum ſuſtulit, quàm Petri fides, quam quidem ille in eo Concilio explicatam præſentibus reliquis Apoſtolis fratribus ſuis tanquam remedium opportuniſsimum adhibuit? Cui cùm omnes eſſent aſſenſi, ex illo ipſo aſſenſu factũ eſt Decretum illud, quod omnibus malis Eccleſiam tunc tẽporis vexantibus medicinam ſalutarem attulit. Quòd ſi hoc diſtinctius explicari vis, ac ſcire quibus in rebus maximè vigeat authoritas Vicarij Chriſti in Concilijs, & quo pacto is eà vtatur: ad hæc quidem intelligenda magno quidem adiumento eſſe poterit: primùm ſi legeris quæ apud Ezechielem de officio ſummi Paſtoris ſcripta, eo in loco, vbi Propheta ſub perſona Dei loquens, enumeratis malis, in quæ partim Paſtorũ, partim ſua ipſius culpa Grex incide-

Acto.15.

rat, Paſtoris munus ad ſubueniendum Gregis calamitatibus ſe ſuſcepturum promittit: deinde ſi hæc contuleris, quæ acta ſunt à Petro in primo illo Hieroſolymitano Concilio, & in ſequentibus Concilijs ab eius ſucceſſoribus. Horum autem ſummam ipſe nunc exponere conabor. Sic igitur apud Prophetam illum loquitur Deus:

Ezech. 34. *Ecce, ego ipſe ſuper Paſtores requiram Gregem meum de manu ipſorum, & ceſſare illos faciam, ne vltra paſcant Gregem: ego ipſe requiram oues meas, et viſitabo eas, & educam eas ex omnibus populis in quibus congregatæ erant, & reducam eas in terram ſuam. Ego paſcam eas, & accubare faciam. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum erat, alligabo: & quod infirmum erat, conſolidabo: & quod pingue erat, cuſtodiam: & paſcam illos in iudicio.* Hæc ſunt quæ promiſit Deus ſe pro ſalute Gregis fa-

gis facturum, & quæ per Chriſtum, dum in terris verſaretur, effecit. Quæcunq; enim Pater facit, hæc itidem facit & Filius, eademq́; poteſtate facit. Ioan.5.
Vt verò Chriſtus corporis ſui præſentia terras reliquit, hæc omnia per Vicarium ſuum fieri voluit: Vicaria tamen poteſtate, non propria. Quæ quo modo fiant, cùm in primo Concilio Hieroſolymitano ſatis ſignificatũ eſt, tùm verò etiam magis in alijs Concilijs Generalibus, cùm aucto gregis numero, vt antè dixi, aucta ſimul eſſet malitia Satanæ, quæ grauius Eccleſiã vexaret. Nobis autem nunc ſatis erit explicare, quemadmodum Petrus in eo ſe Concilio geſſerit, Vicaria ſua authoritate fungens. In quo hoc primùm videmus, tùm ex ipſo Decreto Concilij, tùm ex eorum quæ in Actibus Apoſtolorum ſunt hiſtoria: Satanam iam tum cœpiſſe cribare Eccleſiam, cùm ſeditionem ſereret inter

Iudæos & Gentiles, qui nuper ad numerum Gregis Chriſti erant aſcripti. Hæc aũt ſunt ipſa eius hiſtoriæ verba: Acto.15. *Quidam enim deſcendentes de Iudæa docebant fratres: Quia niſi circuncidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſaluari. Facta autem ſeditione non minima, ſtatuerunt, vt accederent Paulus & Barnabas, & quidam alij ad Apoſtolos & Preſbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione.* En origo & materia Concilij. Vt verò ad ipſum Cõcilium ventum eſt, quid tandem in eo actum ſit, quod huic ſeditioni mederetur, per quam Grex Chriſti in diuerſa trahebatur, declarant quæ ſequuntur. *Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, &c.* Eò autem ſpectabat omnis oratio, vt fratrum fidem confirmaret. Quod quidem remedium antea Chriſtus cõtra omnes Satanæ conatus docuerat, eoque ipſo remedio Petrus & ſeditionem

nem illam ſedauit, & Eccleſiæ pacem reddidit, atq; confirmauit. Quæ enim alij Apoſtoli dixerunt, ad comprobāda Petri dicta dixerunt. Operæpretium verò eſt conſyderare, in paucis illis verbis Epiſtolæ, quæ de Concilij ſententia atque Decreto ſcripta eſt, quo pacto in ſanandis Gregis morbis à Petro expletæ fuerũt omnes ferè partes, quas Deus per ſeruum ſuũ Dauidem, (ſic enim Chriſtus à Propheta appellatur) ſe acturum promiſit. Hoc eſt enim ipſius Epiſtolæ initium: *Quia audiuimus, quòd quidam à nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus.* Hîc primùm videmus, quaſi de manu malorum Paſtorum eripi Gregem, eoſque ab hoc officio remoueri, quod primùm Deus per Prophetam ſe facturum affirmat, ſimulque illud ſequitur, vt quod perierat, requiratur, & quod abiectum erat, adducatur. Acto, 15.

Quorum enim animas mali Paſtores perdiderant, hi ad ſalutem reuocātur. In eo verò quod ſequitur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis, niſi hæc neceßaria, vt abſtineatis vos à fornicatione, ab immolatis, à ſuffocato & ſanguine, à quibus vos cuſtodientes, bene agetis*: reliquæ Dei ſummi Paſtoris partes explentur, vt quod confractum ſit, alligetur, quod infirmum, corroboretur. Illa enim de abſtinētia ab immolatis, à ſuffocato, & ſanguine, addita ſunt propter infirmitatem Iudæorum, qui his rebus à Fidelibus, qui ex præputio erant, non obſeruatis ſcandalizabātur, & quaſi frangebantur. Quorum ſcilicet fractionem hoc Decreto Concilium alligauit, & conſolidauit, ſimulq́; quod erat pingue, conſeruauit. Pinguiores enim tunc & fortiores in fide videbantur eſſe Gentiles, proptereaq́ue illis mandauit, vt infirmiores Iudæos hoc modo

ferrent,

ferrent, & ſuſtentarent. Illud autem, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, vide quo pacto cuius authoritate omnia in Concilijs agantur, exprimat. Hic verò eſt Spiritus Dei Patris, Spiritus Chriſti, de quo verè dici poteſt, eum omnia facere, quæ Propheta pro ſalute Gregis Deum facturũ prædicit: vt illum è manibus malorum Paſtorum eripiat, vt paſcat, vt accubare faciat, & reliqua omnia quæ ad ſalutem Gregis pertinent. Hæc enim omnia agit Spiritus Chriſti, cuius eſt prima ſcilicet & præcipua authoritas in Concilijs, & in ijs omnibus quæ pro ſalute Gregis decernuntur. Huius autem primus miniſter, qui Chriſti ſenſum declarat, eſt Petri Succeſſor, cui aſſentiẽtes reliqui Paſtores efficiũt ſalutaria illa Cõcilia, quorũ maxima eſt vis & authoritas, & quæ verè vniuerſam in terris Eccleſiam repræſentãt. A quibus verò Cõcilijs abeſt huius vnius Spiritus

 autho-

authoritas, quæ ea congreget, quæ dirigat, quæ confirmet: vt numero Epiſcoporũ abundent, ea neq; pro legitimis Concilijs vnquam ſunt habita, neque vllam authoritatem eorum acta in Eccleſia habuerunt. Cuius rei (vt alia omittam) admodum inſigne eſt exemplum Ariminenſe Concilium, omnium quæ antè fuerunt, ſi numerũ Paſtorum ſpectes, qui videntur Eccleſiæ corpus repræſentare, maximũ: ſi authoritatem Decretorũ, minimum. Cuius rei ea eſt cauſa, quam modò dixi: quia ab eo Concilio aberat ſcilicet authoritas Succeſſoris Petri, à quo indici, à quo dirigi, à quo deniq; in fide confirmari debuit. Scrutare reliqua Concilia, quæcunque contra Satanæ malitiam ſalutaria Eccleſiæ remedia attulerunt: in omnibus authoritatem Succeſſoris Petri, quæ ea indixerit, in omnibus Petri fidem adfuiſſe intelliges, vt & priuatis duntaxat quibuſdam

Epiſco-

Epiſcopis affuit. (quicunque enim pij vnquam fuerunt, eos Petri fide prædi-tos fuiſſe neceſſe eſt) Sed tunc Petri fidem in Concilijs adeſſe intelligo, cùm ea ab eius authoritate proficiſcitur, qui Petri Succeſſor in ea Eccleſia ſit, quæ illius ſanguine fundata átque conſtituta eſt. Quod ſanè cùm antiquiſsima illa Concilia à Spiritu Sancto edocta probè ſcirent, hoc etiã in Decretis ſuis extare voluerunt: vt nullius Epiſcoporum conuentus Decreta rata haberentur, niſi qui authoritate Succeſſoris Petri eſſet indictus, & cõprobatus, ad cuius ſedem & tribunal omnes maiores Epiſcoporum inter ſe controuerſias reijciendas eſſe ſtatuerunt, ſeq; non minus eius abſentis authoritate per literas & Legatos, quàm præſentis, omnibus in rebus regi, & gubernari patiebantur. Et cùm aliquãdo Legati ipſi maioribus in cauſis, in quibus nulla ab eo certa mandata

acce-

accepiſſent, ſuam ſententiam pronunciare nõ auderent, ad ipſum licet maximo locorũ interuallo ſeiunctum referebant, eiuſque ſententiã & reſponſum ſumma fide ac patientia perinde expectabant, quaſi Diuinum Chriſti oraculum, ac ſi is corpore in terris verſaretur: tãta ſcilicet impreſſa erat in animis omnium piorum vis verborum illorum, quæ Chriſtus primo Vicario ſuo dixit: *Et tu conuerſus, confirma fratres tuos*: præſertim cùm ea non ad illum ſolum pertinere, ſed ad omnes eius ſucceſſores fidem eius profitentes, Spiritus Chriſti Eccleſiam ſemper docuiſſet. Ex quibus ſatis conſtare poteſt, Concilia Generalia ſummo Pontifici nullam addere authoritatem: ſuam verò prorſus accipere ab eius Vicaria poteſtate: Eam autem diuinam eſſe, non ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto, Deo & homine datam: Vicarium autem ipſum,

vt in

vt in ſumma dicam, idem in Concilijs Generalibus agere, quod Chriſtus ipſe dum in terris verſaretur, cum ſuis egit Apoſtolis, tum cùm eſurientem populum per eos paſceret, quaſi de manu in manum tradens illis, quod populo deinceps diſtribuerent. Hoc enim itidem facit in Concilijs eius Vicarius in cibo ſpirituali: Epiſcopos, qui locum Apoſtolorum tenent, paſcens & in fide confirmans, vt per illos populus ſalutare pabulum accipiat, & in fide confirmetur. Id quod nuſquam æquè commodè fieri poteſt, atque in Concilijs Generalibus.

Quid agendum eſſet, ſi ſummus Pontifex è Paſtore lupus efficeretur, & peccata eius ad perniciem vniuerſi Gregis pertinerent.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

HAEC habui quæ dicerem ad ſummam meæ ſententiæ in hac re tibi explicandam, quæ haud ſcio an ſatis futura ſint ijs, qui per te meam ſententiam explorare voluerunt: idq́ue ob hanc cauſam vereor, quòd coniectura ducor ex verbis & ratione percunctationis, vt ſuſpicer, non hoc illos tuos amicos de poteſtate ſummi Pontificis quærere, quòd dubitent, an Romani Pontificis authoritas ad Concilia Generalia, ad Reges & Imperatores pertingat: ſed potius vt intelligant (ſi id fortè eueniat, & quidem etiam cùm ſemel accidit, nimis ſæpe accidit) vtrum ea Paſtores ipſi cum gregis detrimento abutantur, & quam Concilia Generalia vnà cum ipſis Principibus ad eos vel corrigendos, vel emendandos, vel puniendos, vel abdicandos poteſtatem obtineant: id ſanè

id ſanè illis propoſitum fuiſſe arbitror, in mea de hac re ſententia per te exquirenda.

VRBIN. Iſthuc ipſum profectò eos ſpectaſſe, mihi nunc admodum veriſimile fit, quod ego quidem niſi abs te admonitus minimè aduertiſſem.

POLVS. Age igitur, cùm tibi aliqua ex parte ſatisfecerimus, tuorum etiam amicorum voluntati hac in re morem geramus: quanquã argumentũ hoc (vt iam dixi) & ſtudium maius, & plus temporis, quàm in præſentia nacti ſumus, poſtularet. Euoluenda enim eſſent diligenter eruditorum hominum ſcripta, qui hac de re quid ſentirent, ipſi literis mandârunt. Quare mihi dabis hanc veniam, vt quod cæteris in rebus feci, ſententiam meam nunc tibi ſimpliciter exponam, magis quidem vt te atque illos excitem ad aliorum libros perlegendos, quàm vt me vobis planè ſatisfacturum ſperem.

Idque

Idq́ue ipſe quoque tum faciam, vt primùm ex hoc conclaui egreſsis, facultas nobis ad libros noſtros redeundi dabitur. Verùm ne te diutius morer verbis ad rem minimè pertinentibus, paucis accipe, quã ego putem in Pontifices Romanos poteſtatem habere Concilia, ſi contingat, vt ſua illi authoritate ad ſcandalum & perniciem Gregis abutantur. Aliter enim neque Concilia, neq; Principes vllũ omnino ius in eos obtinent, cùm tamen ipſi in omnes ſummum ius, ſummãq́ue authoritatem habeant, vtpote quibus totius Gregis Chriſti cura mandata eſt: quo nomine comprehenduntur omnes, quotquot Chriſto ſe religione, fideq́ue obſtrinxerunt, quem Deus præfecit gentibus & regnis, vt euellat, vt diſsipet, vt diſperdat, vt ædificet, vt plantet. Huius autem Vicarius miniſter eſt ſummus Pontifex. Quamobrem Paulus de authoritate Apoſto-

lica & Pontificia, deque armis illius loquens: *Arma*, inquit, *militiæ no-* 2. Cor. 10.
ſtra non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, poſtquam impleta fuerit veſtra obedientia. Quibus ſanè verbis intelligimus, omnes errores eorum, qui ſe Chriſto obtemperaturos profeſsi ſunt, cuiuſcunque ſtatus ſint ac dignitatis, Pontificia & Apoſtolica virga eſſe corrigendos. Hæc enim dignitas atque authoritas Apoſtolica ſupra omnem altitudinem ac faſtigium euecta eſt. Sed vt ad quæſtionem ipſam propiùs accedamus: Si ſummus Pontifex vt homo mortalis, ita peccet, vt è Paſtore lupus efficiatur & peccata eius ad perniciem vniuerſi

gregis

gregis pertineant: quid agendum eſt, quo modo, & à quibus eſt corrigendus tali in re, cauſaque. Id mihi inprimis agendum videtur, quod in Regum vicarijs fieri ſolet. Si quis enim eorum cōtra Regis voluntatem acerbis & iniquis modis populum tractârit, tum populus vt remedium miſeriæ quærat, non ei violentas manus inferre debet, ſed ad Regem ipſum ſupplex querelas deferre, atque eius iuſtitiæ & clementiæ ſeſe commendare. Itidem cum Vicario Chriſti iniquis modis populum vexante agendum erit, non afferenda vis, non ipſe extrudendus, quaſi ob id deſinat eſſe Vicarius, quòd populum male tractet & regat. Nam vt populo reijciendæ ſunt omnes iniuriæ ad iudicium Regis (aliter enim in perduellionis crimē incurreret, ſi illius, qui regium obtinet locum, ſe Iudicem conſtituat) ſic cum improbo Chriſti Vicario Chriſtiani ſe gerant

rant oportet: nempe vt ad ipſum Chriſtum verum omnium Regem, & Dominum confugiant, non eo tamen modo, quo priuati homines ad Principes confugere conſueuerunt, iniurias quibus affecti ſint tantùm exaggerantes: quas verò ipſi & Principibus, & eorum miniſtris intulerint, diſsimulantes, vt illi iniuſti & improbi, ipſi innocentes & boni videantur. Sed veritas ingenuè confitenda eſt: ſeſe, quamuis aſperis, quamuis acerbis vexentur modis à Chriſti Vicario, tamen quia in ipſum Chriſtum, & in Fratres ſuos tam ingrati atque iniurij fuerint, multò grauiora ſupplicia mereri. Itaque etſi de eius Vicario conqueruntur, non tamen contra hunc, aut per ſe, ad iuſtitiæ, ſed ad miſericordiæ tribunal confugere debent. Hoc certè remedio nullum præſentius, aut efficacius excogitari poteſt ad impetrandum id quod cupiunt, vt malis Paſtoribus re-

iectis, boni ſufficiantur. Atque hæc breuiter ſummatimque.

De Generalium Conciliorum in corrigendis Romanorum Pontificum erroribus authoritate.

CAPVT XXXIIII.

SED vt diſtinctius propoſitæ quæſtioni reſpondeamus, ſi Summus Põtifex grauius errauerit, & Gregem Chriſti offenderit: an Concilium ad huiuſmodi offenſionem tollendam cogi poſsit, & debeat? Dicimus, Concilio tunc licere, atque oportere ita ſe gerere, quemadmodum cum primo Chriſti Vicario ſe geſsit Eccleſia Hieroſolymitana. Quæ quidẽ cùm multi Fideles ob eam rem offenderentur, quòd is cum Gentibus verſaretur: rationem cur id faceret ab eo poſtulauit, quam ſummus Pontifex, quò minus reddat, recuſare non debet, quemadmo-

admodum neque tum Petrus, neque pòſt multi alij ſummi Pontifices recuſarunt, qui rerum à ſe geſtarum rationem in Concilijs Generalibus reddiderunt: non tamen tanquam apud iudices, quaſi eorum ſententiæ ſe ſubijcerent. Neque verò ipſa Concilia hoc iudicandi munus ſuſcipere debēt, quod ad ſummum Regem & Principem omnium Paſtorum, cuius Romanus Pontifex vicem gerit, propriè pertinet. Hoc autem Marcellini, Symmachi, Damaſi exemplo apertiſsimo obſeruatum videmus, quorum primus cùm ſeipſum accuſaſſet, crimenq́ue ſuum coram Concilio confeſſus eſſet, quòd grauiter Eccleſiam Dei offendiſſet: de communi Concilij ſententia atque conſenſu ipſemet ſui ipſius puniendi conſtitutus eſt iudex, cùm hanc ſibi authoritatem arrogare Concilium nollet, vt Chriſti Vicarium iudicaret, qui ſummus eſt omnium in

terris iudex . Reliqui autem duo cùm ab alijs accuſati ſe defendiſſent , & innocentiam ſuam probaſſent , à ſemetipſis, nihil repugnante Concilio , ſunt abſoluti . Hoc idem ſingulis ſingularum prouinciarum Paſtoribus facere eſt conceſſum , nec Generale Concilium expectare. Deprehenſo enim aliquo inſigni & pernicioſo ſummi Paſtoris errore : aut ad illum debent accedere, ab eoque primùm ſecretò, deinde, ſi ita res ferat , in Eccleſiæ conſpectu rationem expoſcere (quemadmodum cum Petro Paulus egit Antiochiæ) aut idem cum eo per literas agere , ſicuti multos Epiſcopos olim feciſſe , itaque Romanorum Pontificũ erroribus & offenſionibus occurriſſe, legimus . Sin autem eiuſmodi eſſent ſummi ipſius Pontificis errores , vt propter ſummam eius in omnes authoritatem facilè poſſet ex his Eccleſiæ pernicies conſequi : tum qui offen-

duntur

duntur in illis duntaxat rebus, quas diuinæ legi planè conſtet eſſe contrarias, & Chriſti Gregi certum afferre exitium, nullo modo tenentur obtemperare. Quæ quidem ratio maioris correctionis loco eſſe poterit. Deniq; ſi tale criminis & offenſionis genus in eo deprehendatur, vt aut apertè ſit hæreticus, aut mente captus: tum verò liceat ex communi cæterorum Patrum conſenſu ab eius imperio omnino recedere. Quòd ſi ita prorſus amẽs fuerit, vt nulla ſpes ad animi ſanitatem redeũdi reliqua ſit: tunc non ſecus ac ſi vita exceſsiſſet, in eius locum poterunt Cardinales iure alterum ſufficere. Hæc in præſentia habui, quæ dicerem de Generalium Conciliorum in corrigendis Romanorum Pontificum erroribus authoritate.

Summum Pontificem authoritatem ſuã apud Concilium tueri poſſe, ſi Decre-

 ta Con-

ta Conciliorum non patiatur infringi, niſi grauiſsimis maximéque neceſſarijs de cauſis.

CAPVT XXXV.

ILLVD aũt non prætermittam, Romanos Põtifices meo quidem iudicio tùm apud Concilia, tùm apud vniuerſam Eccleſiam, tam publicis, quàm priuatis in rebus authoritatem ſuam nulla ratione commodius tueri poſſe: quàm ſi nullo vnquam modo, aut certè niſi grauiſsimis, maximeque neceſſarijs de cauſis Statuta & Decreta Conciliorum infregerint, aut abrogârint. Quod quia haud ita diligenter ab illis eſt obſeruatum, ſed nonnunquam in priuatum publicumque detrimentum amplitudine poteſtatis ſuæ abutentes, quas à Concilijs perlatas leges aſſenſu ipſi ſuo & authoritate comprobauerint, eaſdem derogarunt: ideo factum eſt, vt Concilia Genera-

lia

lia quia id, ne ſæpius eueniret, metuerent, interdum in Pontifices ea tentarint vti poteſtate, quæ ipſis minimè conueniebat. Quod eo ſanè ab illis conſilio factum eſt, ne ſi in vnius arbitrio ſitum eſſet, eas leges conuellere, aut infirmare, quas ad totius Chriſtianæ Reipub. vtilitatem ſanxiſſent & promulgaſſent: tot vigiliarum laborumq́ue tam piè ſanctèque ſuſceptorum fructum amitterent. Hoc autem ſemper extitit, non ſine magnis tùm publicis tùm priuatis incommodis, & calamitatibus, inter ſummos Pontifices, & Concilia, diſſenſionis atque diſcordiæ ſeminarium. Itaque mea quidem ſententia, ad hoc incommodum propulſandum, confirmandamq́ue in omne tempus Romani Pontificis authoritatem, nullum certius aut præſentius remedium reperiri poſſet, quàm ſi earum legum, quas Cõcilia tulerunt, ad communem omniũ

vtilitatem is ſe tutorem & miniſtrum præbeat, qui eas & ipſe obſeruet, & ab alijs vt obſeruentur, curet. Sic enim Deo hominibuſq; applaudentibus mirum in modum authoritatem ſuam iuſque amplificabit, atque confirmabit. Neque verô illi propterea metuendum eſt, ne ea res Pontificiam dignitatem imminuat, cùm exemplum habeat Domini ſui, qui quamuis Deus & homo eſſet, atque ideo nullis legibus obnoxius, imò verò ipſa lex atque iuſtitia: tamen vt nobis prodeſſet, in obſeruanda lege ita ſe humiliter, ita ſubmiſsè geſsit, vt illius ne vnum quidem iota aut apicem prætermitteret, quin diligentiſsimè obſeruaret: ſic vt à ſimplice etiam homine, eoq; maximè renuente, & indignitatem ſuam excuſante, baptizari voluerit: *Sic*, inquiens,
Matth. 5. *decet nos implere omnem iuſtitiam*. Hoc Chriſti exemplũ idcirco in medium afferre volui, vt oſtenderẽ quàm

deco-

decorum eſſet,& quàm conueniret,vt eius Vicarius non alienum à ſua dignitate exiſtimaret,legibus à Concilijs ad communem Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem latis vltrò ſe ſubmittere, vt non ita facilè, niſi maximis & grauiſſimis cauſis impulſus & coactus, aut ipſe vllã omnino irritã faceret, aut ab alijs diſſolui,antiquarivè permitteret: quæ cùm facit,non ille quidẽ authoritatem ſuã propterea auget, ſed vehementer apud multos imminuit. Quapropter hoc iterum repetam: Romanum Pontificem nullam aptiorem authoritatis ſuæ in hominum animis augendæ,tuendæque rationem inuenire poſſe,quàm ſi vel leuiſsimarum legum (quæ tamen ad rectam Eccleſiæ inſtitutionem & commodum latæ ſint) religioſiſsimum ſe tutorem ac fautorem præbeat.

Con-

Conſcientiæ & iudicio ſummi Eccleſiæ Paſtoris relinquenda eſt ratio diſpēſationum, quæ non minus neceſſariæ ſunt Eccleſiæ, quàm ipſe Sol vniuerſo orbi.

CAPVT. XXXVI.

NEQVE tamen propterea affirmo, omnia Conciliorum Decreta & leges eiuſmodi eſſe, vt immutari nunquam debeant: cùm multa ſæpe pro ratione temporum inueniantur, quæ vtilitas Eccleſiæ vel infirmari, vel etiam tolli, abolerique poſtulet. Hinc verò diſpenſationum cauſa ratioque proficiſcitur. Quæ ad commoda ſingulorum ita ſunt neceſſariæ, quemadmodum ipſa legum obſeruatio vniuerſæ Reipub. eſt vtilis: quarum diſpenſationum ratio conſciētiæ & iudicio ſummi Eccleſiæ Paſtoris eſt relinquenda. Nullæ enim leges ſic ad vniuerſæ Eccleſiæ vſum atque

ordinem condi poſſunt, quin eas in priuatis cauſis moderari, aliquando etiam abrogari expediat: idque propter multitudinem cauſarum priuatarum, quæ nullis queant ſcriptis legibus comprehendi. Ex quo fonte manant, vt dixi, multa diſpenſationum genera, quæ non minus neceſſaria ſunt Eccleſiæ (ſicut vir ille ſanctus dixit) quàm ipſe Sol orbi vniuerſo. Hac verò diſpenſandi authoritate Romanus Pontifex vti non debet, niſi neceſsitas cogat: cuius ille finibus ſi ſe contineat in Conciliorum legibus aut immutandis, aut abrogandis, haud ſanè ipſis Concilijs repugnabit, quin imò cum illis vel maximè conueniet. Nam ipſa etiam vt aliquando reijciant ac repudient ea quæ Decretis ſuis continentur: non tamen à ſeipſis diſcrepant, ſed ſibi vehementer conſtant, cùm ab eo ſpiritu non diſcedant, per quem ſunt coacta; qui ſanè ſpiritus inprimis

animarum ſaluti, atque vtilitati & publicæ, & priuatæ ſemper conſuluit. Pontifex igitur ſi ita ſe gerat, multò magis leges obſeruabit, quàm qui à legum verbis & præſcripto nunquam omnino velit recedere. Atque hactenus quidem, qua ratione ſummus Pontifex autoritatem ſuam apud Cōcilium tueri poſsit, dictum ſit.

De ſummi Pontificis iure & poteſtate in Reges & Imperatores.

CAPVT XXXVII.

RESTAT nunc altera quæſtio diſſoluenda, quā de ſummi Pontificis iure & poteſtate in Reges & Imperatores propoſuiſti, quaſi dubitares, eodémne iure illos errantes coërcere poſſet, quo infimum quēque ex plebe, ac pari authoritate vtroſque dirigere in ſuo officio, & continere. Ad quā dubitationem breuis eſt ſanè

& plana

& plana reſponſio, ſi ea rectè tenemus, ijs denique fidem habemus, quæ ſuprà de ſummi Pontificis poteſtate in vniuerſum populum Chriſtianum diſputauimus. Etenim diximus, hanc ipſam poteſtatem ſimilem eſſe ei, quam paſtor habet in gregem, medicus in ægrotum, Imperator & Dux in exercitum, gubernator nauis in remiges & vectores, ac denique diſpenſator domus in vniuerſam familiam. Quòd ſi hæc exempla teneamus, & rem ita ſe habere credamus: an dubitare poſſumus, qualisnam ſit ſummi Pontificis poteſtas in ſummos Reges: in eos, dico, qui Chriſtianum nomen profitentur? Qui niſi ex numero ſe ouium Chriſti ſubtrahere voluerint, quin tãtum in eos Vicarius Chriſti Paſtor authoritatis habeat, quantum in infimum quemque de Grege, negare non poſſunt. Neq; enim quis, quia Princeps eſt, quia Rex, quia Imperator, idcirco

minus

minus ſubijcitur poteſtati ſummi Pontificis, quàm priuatus: ſed multò hoc magis, quò maiore ſcilicet cura & auxilio eius indiget, maiore ipſe preſſus onere, quàm priuatus. Simile verò eſt quod nunc quæris de ſummo Pōtifice & Regibus, ac ſi interrogares de exercitu, cui præeſt Dux & Imperator: Num apud Legatos, apud Tribunos, apud Principes ordinum, apud Centuriones æquè valere debeat eius authoritas hortando & imperando, atq; apud vnum aliquem de gregarijs militibus, apud quos intelligis, eò plus Ducis authoritatem valere oportere, quò maius bonum vniuerſi exercitus eorum, quàm ex gregarij militis obedientia pendet: contraque niſi promptè pareant, maius periculũ. Per hos enim dicto Ducis audientes vniuerſus exercitus in officio continetur. Quòd ſi ſecus faciant, atque imperium Ducis detrectent, tum meritò periculum timetur

metur grauius atque præſentius. Nec verò aliter æſtimare debes fieri in Eccleſia, quæ eſt exercitus Domini, cui præeſt ſummus Pontifex. Apud eos enim eius authoritas plus valere debet, qui maiorem authoritatem ſecundùm eum apud reliquam multitudinem habent: idq́; ipſum ob eas, quas iam expoſuimus, cauſas. Idem verò poſſem medici exemplo confirmare, de cuius authoritate ſi quæreres, apud quos plus valere debeat: apud eos dicerem, qui & facilius in morbos incidũt, & cùm inciderint, grauius & periculoſius ægrotant, ac difficilius curantur. Transfer modò, ſi libet, hanc ſimilitudinem ad ſummum Pontificẽ, qui item medici locum in Eccleſia tenet: in qua nemo eſt, quin aliquo morbo ſit implicitus. Cùm igitur quæris de principibus, an æquè apud eos, atq; apud priuatos homines ſummi Pontificis authoritas valere debeat: dico,

multò

multò magis, idque propter multiplices peccandi occaſiones, quæ illis offeruntur magis, quàm priuatis hominibus. Quo ſanè efficitur, vt in varia peccatorum tanquam morborum genera facilius incidant, & grauius ægrotent, ac difficilius curentur. Præſertim cùm neque ita facilè medico obediant, & difficilius inueniatur, qui periculum eos curandi, quemadmodum curari debent, ſuſcipere velit. Neque enim ſine magno vitæ ſuæ periculo, cùm grauior eſt morbus, medicus ſpiritualis id tentare poterit, præſertim priuatus. Legimus quidē de Theodoſio Imperatore, cùm in graue peccatum, tāquam in morbum incidiſſet, eum à priuato Epiſcopo Ambroſio eſſe liberatum. Sed eiuſmodi exempla admodum rara ſunt. Tentauit idem apud Anglos Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, vir ſanctiſsimus, in curando Rege Henrico Secundo: ſed in

Hiſt. Tri. li. 5. ca. 18

ipſo

ipſo conatu vitam corporis amiſit, eius ſcelere ereptam, cuius animæ ſalutem procurare conabatur. Quãquam is reuera magis pro ſuæ animæ ſalute Regi reſtitiſſe videtur, & in eo diligentiam adhibuiſſe, ne Regis morbi cõtagione ipſe inficeretur, quàm vt medici partes apud eum expleret. Hoc enim magis timendum eſt priuatis Epiſcopis, ne ipſi à Regibus laborantibus corrũpantur, quàm ſperandum, fore, vt iam corruptos Reges ſanent : quòd hoc perrarò, illud minus ſæpè accidere ſoleat. Atque idipſum tentauit Rex ille apud Archiepiſcopum. Eundem tamẽ Regem memoriæ proditum eſt, cùm nullam à priuatis Epiſcopis, tanquàm à medicis medicinã quamuis dulcem accipere voluiſſet, imò tentaſſet omnes contagione ſui morbi inficere, ac plures etiã infeciſſet: tandem à ſummo Pontifice ad eius curam accedente, etiam acerbam medicinam libenter

accepiſſe,ac per eũ omni deniq; morbo eſſe liberatum. Non pauca aũt reperiuntur ſimilia magnorum Regum & Imperatorum exempla, qui à priuatis Epiſcopis ſanari cùm recuſaſſent, à Summo Pontifice ad ſanitatem ſunt reuocati. Quæ quidem exempla vt priuatos Epiſcopos à cura Regum deterrent: ſic contrà, ſi vlla ſpes ſit eorum ſalutis, eam in Romano Pontifice Chriſti Vicario poſitam eſſe, facilè oſtendunt.

Apud nullos ex toto Grege Chriſti plus valere oportere authoritatem ſummi Pontificis, quàm apud Reges.

CAPVT XXXVIII.

QVAE cùm ita ſint, facilè iam reſpõdere ad propoſitam quæſtionem poſſumus: Si id vnum ſpectetur, quod ad priuatam Principũ ſalutem & commodum pertinet, apud nullos

nullos ex toto grege Chriſti plus valere oportere ſummi Pontificis authoritatem, quàm apud ſummos Reges. Cuius rei ea quidem eſt cauſa, quòd nemo eſt, ne ex infima quidem plebe, qui ſiue de via ad beatã vitam ambigat, ſiue aberret, ſiue in grauiora peccata, tanquàm in lætales morbos incidat, non facilius ducem, Magiſtrum, medicum inueniat, qui rectam viam doceat, qui aberrantem reducat, qui laborantem curet: quàm ipſi Principes. Vt enim omittam Epiſcopos, ad quos in grauioribus morbis à priuatis hominibus concurritur, qui ſemper ad medendum præſto ſunt: habent præterea priuati homines ſuos Parochos, ſuos priuatos Sacerdotes; qui negligentes eos ſalutis ſuæ admoneant, qui ignorantes pericula doceant, qui non curantes deterreant, qui etiam refugientes medici manum propemodum inuitos curent. Quòd ſi hoc munere

Sacerdotes fungi neglexerint: habent illi quidem domeſticam diſciplinam, multò grauiorem, quàm Principes, habent liberiores amicorum admonitiones, inimicorum aſperiores, qui eos in recta via magis contineant, aberrantes facilius reducant. Denique etiam vt hæc omnia deſint, non abeſt certè legum & ipſorũ Principum metus, quo nihil eſt ad populum in officio retinendum grauius. Apud Principem verò, qui ſupra leges ſe eſſe putat, cùm hoc vinculum legum eſt infirmiſsimum, tùm etiam cætera omnia adiumenta ſic ei deſunt, vt cùm à ſummo Pontifice diſceſſeris, qui errantem reducat vix inuenias. Cùm verò grauiter laboranti fortiora remedia ſunt adhibenda, quis tandem ex priuatis Epiſcopis inuenietur, qui id tentare audeat? vt etiam quò is grauius laborauerit, eò minus quiſque auſurus ſit. Hæc autem omnia ſi diligentius per-

pendere velimus & conſyderare in priuatorum hominum ſtatu, primùm quantò minus illi multas habeāt, quàm Reges, peccandi occaſiones: deinde cùm labi & cadere iam cœperint, ne ſe prorſus quaſi è litore in mare præcipites deijciant, quanta his oppoſita ſit legum & Magiſtratuum moles, ſimulque amicorum ſuaſiones, & conſilia, quæ eos ruentes retineant, cumque ſe proiecerint, quàm multa adiumenta ab Eccleſia parata ſint, quibus faciliùs reuocari, & ſeruari queant: contrà autem Regibus quàm multæ offerantur, quàm variæ, quàm faciles ad peccandum occaſiones, quibus tanquam ventis vehementibus in mare deferantur, quibus nulla moles legũ ſit oppoſita, nihil quod aut ruentes retinere poſsit, aut proiectos retrahere, præſertim reiecta, quæ ſupra eos eminet, ſummi Pontificis authoritate, qua ſæpiſsimè ſunt adiuti: hoc quidē con-

cludere cogemur,priuatos Epiſcopos populorum & priuatorum hominum vtilitatis & ſalutis gratia : Principem verò Sacerdotem ipſum ſummũ Pontificem, populo quidem, ſed præcipuè Imperatorum, & Regum, atque omnium Principum cauſa eſſe conſtitutum, vt illis & Pater ſit, & Magiſter, & Dux viæ, quæ ad beatam vitam ducit. Quo ſi careant priuati, vt ſæpius idem repetamus, non deſunt alij, qui eiſdem officijs apud eos fungantur: Principes verò, ſi hoc Magiſtro, & medico, & duce careant, cuius præterea opera iuuari poſsint, difficillimè reperiatur.

Ad reformationem Eccleſiæ maiorem vim habere, quàm vllum Concilium vtcunque magnum, ſi Summus Pontifex ſuam authoritatem apud Principes retineat, & ipſi eandem libenter ſuſtineant.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

SATIS quidem nunc intelligere videor, quantum honoris, officij, atque obedientiæ ſummis Pontificibus à ſummis Regibus debeatur. Atque vtinam hoc illis tam eſſet perſuaſum, quàm mihi ex tuo ſermone eſt iam in animo infixũ: hoc maximè ad eorum dignitatem augendam, & ſalutem procurandam tuendamq́; pertinere, vt ipſum Magiſtri & Ducis loco diuinitus ſibi datum ſemper habeant, qui viam, quæ ad beatam vitam ducit, prius incognitam illis mõſtret.

POLVS. Si hoc in votis tuis addideris, idq́ue etiam Deus pro ſua benignitate tribuerit, vt quum ſummi Reges talem perſonam in ſummis Pontificibus libenter cognouerint, itidem ipſi Pontifices eandem libenter ſuſtineant, & pro poteſtate ſibi data libenter exerceant: nihil quidem

eſt ex omnibus remedijs, quæcunque malis Eccleſiæ vnquam ſunt adhibita, quod plus & priuatim, & publicè prodeſſe poſsit. Hoc autem illud vnum eſt, quod ad reformationem Eccleſiæ (vt nunc loquimur) quam per tot annos vniuerſus populus Chriſtianus tanto ſtudio exoptare atque expectare videtur, maiorem vim habet, quàm vllum Concilium vtcunque magnum, quod ad hãc rem præſentiſsimũ remedium exiſtimari ſolet. Eſt enim huiuſmodi, vt ſine illo Conciliũ neq; autoritatem habere, neq; fructum afferre poſsit, & multò quidem latius patet. Concilij enim remedium niſi turbulentis temporibus nũquam ferè adhibetur: hoc verò omni tempore prodeſſe poteſt. Sed (vt dixi) omnis vis huius remedij partim cõſiſtit in ea opinione, quam habebunt Principes de ſummo Pontifice Vicario Chriſti, ſibi pro Patre, pro Magiſtro, pro medico,

pro Gubernatore,& Duce totius vitæ à Deo dato : partim in eo, ſi ſummus Pontifex hanc perſonam ſuſtinere, ſi hanc authoritatem retinere, & pro poteſtate diuinitus conceſſa libenter exercere velit.

VRBIN. Quin Pontifices libenter velint hanc tantam perſonam ſuſtinere, & ſuam authoritatem apud Principes retinere, non puto admodũ difficile eſſe eis perſuadere. Vt verò ipſi Principes eandem ita libenter agnoſcant, hoc quidem opus eſt, hic labor.

POLVS. Imò verò maius opus & maior labor fortaſſe erit in eo, vt Pontificibus perſuadeatur, vt tantam nominis gloriam ſibi à Deo tributam libenter velint ſuſtinere,& eam in ſui officij adminiſtratione apud Principes oſtendere. Quod quidem ſi fieret, facile eſſet, quod nunc videtur difficillimum, Principibus perſuadere, vt

eandem agnoſcerent, Pontificique libenter parêrent, tanquam patri à Deo ſibi dato. Tu verò ſic totam rem conſydera, & hoc primùm: quàm diu ſit, ex quo hæc poteſtas in terris conſtituta eſt, quæ Principum omniũ mundi poteſtatem dignitate longè ſuperans, eorum imperia ob innatam homini malitiam labefactata reſtitueret, atque confirmaret. Hæc aũt data eſt Vicario Chriſti, & communicata cum cæteris Epiſcopis, antequam ipſi Principes ſcirent, fructum vllum ex ea ſe poſſe percipere: imò contrà iudicarent, qui hanc exercerent, graues ſuæ poteſtatis & regni aduerſarios eſſe, ac propterea tanquam hoſtes paſsim occiderent. Qua quidem in opinione tam diu permanſerunt, quoad regno Chriſti eorum opera in animis populorum conſtituto, ac fundato, ad Principum tandem mentes huius diuini regni odor peruenit.

A Con-

A Conſtantino ſe Chriſti Vicario ſubijciente multò illuſtrius confirmatum eſſe regnum Dauidis in iudicio & iuſtitia, quàm ab ipſo Salomone.

CAPVT XL.

QVOD vt factum eſt, tum primùm, quantum boni terrenis regnis ex hominum opera, & præcipuè Vicarij Chriſti ipſius Romani Pontificis exiſteret, homines intellexere in Conſtantino Magno, qui primus Imperator Chriſti perſonam in eo & agnouit, & veneratus eſt. cui ſe regendum, tanquam Patri filium, & ægrotum medico cùm tradidiſſet: non ſolùm à lætiferis animi morbis liberatus, ſed in tantam fœlicitatem euectus eſt, vt non modò nullus ſuperiorum Imperatorum, ſed ne Salomon quidem ipſe (quem Deus tanquam exemplum quoddam humanæ fœlicitatis conſtituerat) cum eo comparari poſsit.

poſsit. A quo quidem multò illuſtrius, multoque verius corroboratum eſſe Dauidis regnum in iudicio & iuſtitia, affirmare poſſumus, quàm ab ipſo Salomone, qui patri ſuo Dauidi proximè ſucceſsit, & vnus omnium Regum Iſraël fœliciſsimus eſt habitus.

VRBIN. Iſtud ſanè melius explices velim.

POLVS. Haud magna quidem hæc res explicatione indigebit, ſi recordaberis, quæ iam de Dauidis regno diximus: tantùm nunc eſt animaduertendum, diuerſam in vtroque videri fœlicitatis acquirendæ rationem. Nam Salomon cùm à Deo ſapientiam rogaſſet ad verum diſcernēdum in iudicijs, vt rectè populum gubernaret: non ſolùm ei quod poſtulabat datum eſt, ſed quæ etiam non poſtulabat. quæ quidem ab omnibus, qui beatam vitam expetunt, maximè optantur. Eique tanta facta eſt diui-

tiarum,

tiarum, opum, gloriæ acceſsio, quanta neque ante eum vlli Regum, neque póſt, vt Scriptura affirmat. Conſtantinus verò cùm non ſapientiam peteret, ſed ſtultitiam à Deo ſibi propoſitam atque oblatam eſſet amplexus: non ſolùm ſapientiam ad verum diſcernendum in iudicijs maiorem, quàm aut ſuperiores Reges, aut inſequentes eſt adeptus, ſed omnes etiam & opibus, & gloria facilè ſuperauit.

VRBIN. Quam verò dicis ſtultitiam amplexum eſſe Conſtantinum, quæ eum ad tantam Imperij gloriam extulerit? An hoc ſtultitiæ attribui poteſt?

POLVS. Fuit quidem permagnæ ſapientiæ, ſtultitiam à Deo oblatam non aſpernari. Quod enim ſtultum eſt *apud Deum, id ſapientius eſt apud homines: contraq́; quod apud Deum infirmum eſt, id apud homines fortius habetur*. Deus verò ſuam ſtultitiam, quo 1. Cor. 1.

nomine

nomine à mundi ſapientibus appellatur Crux Chriſti, è cœlo ei oſtendit, quam ille non aſpernatus, ſed veneratus, omnia illa eſt aſſequutus, quæ etiam apud homines magna & præclara habentur, quæ ad ſapientiam, ad opes, ad gloriam pertinent. Huius verò ſtultitiæ cùm Vicarium Chriſti Conſtantinus Magiſtrum habuit: tunc primùm id Sol vidit, quod ille Philoſophus cùm conſpiceretur, tùm demum dixit beatas fore Reſpub. cùm ſcilicet aut Philoſopus imperaret, aut qui ſummum imperium haberet, Philoſophi conſilijs ſe regendum præberet. Hoc enim tum, inquam, Sol vidit Conſtantino imperante, qui verum amatorem, ſtudioſumque ſapientiæ (hunc enim appellamus Philoſophum) magiſtrum nactus, ipſum Chriſti Vicarium, vt eiuſdem cupidiſsimus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi, eius moni-

tis

tis obtemperauit. Exquire quæ de eius vita memoriæ prodita ſunt: nullum vnquam populum, quàm eo imperāte, beatius vixiſſe reperies. quo tempore non ſolùm Iani porta eſt clauſa, quod Romanis erat ſignum belli vbiq; gentium profligati, ac pacis conſtitutæ: ſed cœli porta vniuerſo hominum generi eſt patefacta. Hoc autem tum accidit, cùm deuictis ſpiritualibus hoſtibus pax cum Deo orbi vniuerſo eſt reddita. Cuius quidem pacis fructum ante eum Imperatorem Romanum, publicè non perceperat. Quibus autem porta ad hanc pacem eſt clauſa, iiſdem præcluſus eſt omnis ad veram fœlicitatem aditus. Hanc Sylueſter Pontifex Romanus Chriſti Vicarius Conſtantino aperuit, vt per eum vniuerſo eius Imperio ac toti terrarum orbi patêret: ac tum primùm quidem cognitum eſt, quanam in re conſiſteret, cùm Sacerdotalis & Pontificia,

tùm

tùm etiam Imperatoria dignitas, ac poteſtas. Vtriuſque enim vis & fines tunc oſtenſi ſunt. Quibus ſi ſe continuiſſent, qui eis ſucceſſerunt Pontifices & Imperatores: non modò eorum fœlicitatis hæredes fuiſſent, ſed eandem quoque in vniuerſum genus humanum transfudiſſent, ſeq́ue infinitis miſerijs liberaſſent, in quas vtrique inciduńt fines ſuos egreſsi: Imperatores plus, quàm ſuæ dignitati conueniat, appetentes, Pontifices autem minus: dum neutri ſibi propoſitum à Conſtantino, & ab ijs Pontificibus, qui eo imperante Romanam Eccleſiam rexerunt, exemplum ſequi volunt.

VRBIN. Quod tandem exemplum dicis? Neque enim ſatis percipio. Illud verò multò minus, quòd eorum malorum, quæ poſtea vel in Eccleſia, vel in Imperio ſunt conſecuta, attribuere videris cauſam partim Imperatorum ambitioni, qui plus hono-

honoris appetiuerint, quàm ſuæ dignitati conueniret, partim Pontificum negligentiæ in ſua dignitate retinenda. Illud quidem, Imperatores plus quàm ſibi conueniret appetendo, in maximas turbas Eccleſiam conieciſſe, multi facilè agnoſcunt. Pontificum verò peccatum, propterea quòd minus appetant, quàm dignitati eorum conueniat, quale ſit, nondum ſatis intelligo.

POLVS. Mox, vt ſpero, intelliges, vbi terminos vtriuſque dignitatis & poteſtatis à Conſtantino Imperatore in Concilio Nicæno primùm oſtenſos, qualeſnam ſint, animaduerteris. Quod quidem ad cognoſcendum facile tibi erit, ſi hiſtoriam illorum temporum legeris, & ſi primùm cauſam cogendi illius Concilij, deinde initium & progreſſum conſideraueris, & ea quæ cùm à Pontifice Romano, tùm ab ipſo Imperatore acta ſunt, vt Conci-

lium fœlicem exitum haberet. Cauſa autem ea fuit, quam in genere antea diximus materiam dediſſe omnibus Concilijs Generalibus: nempe vt Sathanæ malitiæ nitentis Eccleſiam Dei cribrare, obuiam iretur. Quam quidem tum cribrare contendit, cùm magnum illud Eccleſiæ fundamentum, quod à Petro iactum fuerat fidē ſuam profitente, aſſerenteque Chriſtum eſſe Filium Dei viui, per eos, qui Filij ſubſtantiæ cum Patre æqualitatem negabant. Qua in re tantum Sathanæ malitia potuit, vt coorta maxima inter Paſtores contentione in maius diſcrimen ſalutis vniuerſus populus Chriſtianus adduceretur, quàm vnquam antea in tot perſecutionibus eſſet adductus. Huic autem tanto periculo idem remedium eſt adhibitum, quod omnibus Sathanæ inſidijs, & conatibus adhiberi voluit Chriſtus, cùm dixit non tam Petro, quàm omnibus qui ei

ſucceſſuri eſſent: *Et tu conuerſus confirma fratres tuos*. Hoc enim remedio vſum fuiſſe tùm Petri Succeſſorem, itemque ſalutem Gregi attuliſſe, primùm declarat Concilium ab ipſo Syl-ueſtro Romano Pontifice Niceæ indictum, tùm Legati eius eò miſsi, qui fratres in Petri fide confirmarent. Poſtremò verò in Epiſtola ad ipſum Pōtificem poſt Cōcilium peractū miſſa, qua Concilium ab eo poſtulabat, vt ſua Acta confirmaret. Ob quam cauſam alterum Concilium Romæ coegit Syluester præſente etiam Conſtantino, cuius quidem Cōcilij primo Decreto continebatur approbatio & confirmatio Actorum Niceni Concilij. Quod ille cùm feciſſet, opus maximum omnium humanorum operum feciſſe, & eiuſmodi quod diuinum potius, quàm humanum dici debeat (quia non humana, ſed Diuina eius, qui eſt Deus & homo, virtute eſt actum).

vel ex hoc intelligere licet, quòd per obedientiam fidei homines eò perueniunt, vt ex ſeruis, & ad æterna inferorum ſupplicia damnatis, liberi fiant, & cœleſtes ciues, è regno tenebrarum in regnum lucis tranſlati, vt gloria ac beatitudine filiorum Dei perfruantur. Etenim qui homines (contra potentiſsimum illum ad nocendum hoſtem, qui ex cœlo ad inferos proiectus, nihil omni tempore non agit, vt ij, qui ad fœlicitatem & gloriam ſunt vocati, in eandem ſecum miſeriam infinitis artibus & dolis trahantur) confirmat in fide: quid aliud facit, quàm eos in poſſeſsione beati regni, à quo excidunt, qui à fide excidunt, confirmat & tuetur? Quo quid maius, aut diuinius excogitari poteſt? Quòd ſi Chriſtianos homines ſingulos in fide confirmare magnum eſt, qui ipſos Paſtores, per quos & vniuerſi, & ſinguli in fide continentur, confirmat; huius verò opus

rò opus maximum omnium eſſe fateamur neceſſe eſt. quod quidem proprium eſt Romani Pontificis Vicarij Chriſti, quo munere functus eſt Sylueſter in Concilio Nicæno. Ex quo vides, quò Romani Pontificis poteſtas progrediatur, & quos fines habeat. Iam verò in eodem Concilio illud exemplo quoque ipſius Magni Conſtantini oſtenditur, quos fines Imperatoria poteſtas habeat. Hoc autem primùm conſtat, vltra eos (quos iam demonſtrauimus) Pontificiæ poteſtatis terminos nullam humanam poteſtatem progredi poſſe, quia ne cogitari quidem poteſt in terris aliquid ea ſublimius: quæ è terris, vel potius ex ipſis inferis in cœlum ferens homines in poſſeſsione cœli collocat, ac tuetur. Sed quia multa, vel potius innumerabilia, & grauiſsima impedimenta huic ſummæ poteſtati, ne optatum finem conſequatur in terris, ſunt ab illo oppoſita,

poſita,qui neminē vellet eò aſcendere, vnde ipſe excidit (qui autem illô non àſcendunt,hos ſibi quaſi in prædã vendicat) cuius poteſtas plus valet ad remouenda ea, quæ curſum huius ſupremæ poteſtatis impediunt, vt eundem queat faciliorem atque expeditiorem reddere: hic cæteris omnibus dignitate in terris præſtat,& huius poteſtas ſecundùm ſupremam poteſtatem,hoc eſt, Pontificiam, eſt omnium maxima. Hanc verò eſſe Imperatoriam poteſtatem, & in ipſo Nicæno Concilio, & antea quoque oſtendit Conſtantinus Magnus tum, cùm omnia impedimenta humana,quæ ab ipſis Imperatoribus Sathanæ impulſu magna, & grauia oppoſita erant,ſuſtulit, & quæ viciſsim commoda afferri poſſent ab humana poteſtate,omnia contulit. Primum autem fuit & maximũ impedimentum, quod ab eo ſublatum eſt, perſequutio illa, quæ ferè per trecentos

centos annos durauerat impiorũ Imperatorum: qua fiebat, vt neque Sacerdos cum populo liberè, ac ſine vitæ periculo loqui, neque Sacerdotes inter ſe conuenire poſſent, vt de re cõmuni Eccleſiæ agerent. Hoc impedimentum, reddita Eccleſiaſticis externa pace, ſuſtulit Conſtantinus, vt primùm in gratiam Dei ipſe per Vicariũ Chriſti eſt receptus: ſimulque locum conceſsit, quo Paſtores pro ſalute totius Gregis valdè tunc periclitantis conuenirent, vbi ipſe etiam intereſſe voluit. Ita verò ſua præſentia eorum ſanctum & neceſſarium conatum adiuuit, vt alterum impedimentum tolleret, priore longè grauius, quod Sathan, cùm conuentum impedire non potuiſſet, in ipſo conuentu, ne optatum finem aſſequeretur, iniecerat (fuit autem id ommium maximum) inter Epiſcopos, qui & ipſum Imperatorem, & alios omnes confirmare in ve-

ra pace debuerant, inimicitias atque diſcordias: quæ adeo quidem exarſerant, vt obliti dignitatis ſuæ & poteſtatis à Deo ſibi traditæ ipſi Epiſcopi libellos mutuæ accuſationis Imperatori porrigerent, atque ipſum ſuarum controuerſiarum iudicem conſtituerent. Hic verò Conſtantinus verè magnum ſe præbuit, & conſtantem in fide, atque optimè edoctum, quid ſuæ poteſtatis, quid ſacerdotalis eſſet, & vtriuſque fines, ac terminos ſibi probè notos eſſe oſtendit, cùm in illis controuerſijs perſonam iudicis ſumere recuſauerit, quòd eas quidem componendas cùm iudicaret, tamen id non Imperatoriæ poteſtatis eſſe cenſebat: quæ in iudicando, vt latiſsimè pateat, tamen non eò pertingit, vt de Sacerdotum cauſis ſententiam ferat. Quapropter non Imperatoris authoritate, ſed filij obedientis charitate, quæ nullos terminos nouit, ad has lites componen-

ponendas vti voluit, hortando ad pacem, & obſecrando. Qua quidem re tantum profecit, vt tandem pudore maximo affecti Sacerdotes, quòd ſe à Principe charitate vinci intelligerent, poſitis inimicitijs, & bello tam inteſtino quàm externo ſublato, ea Decreta facerent, quæ à Vicario Chriſti confirmata, eam pacem domi foriſq; cœlo & terra peperit, vt poſt hominum memoriam nulla vnquã tam latè diffuſa, tam ſancta, tam vera, tam ſalutaris extiterit. Neque aliâs vnquam magis id cognitum ſit, quod Angeli, Nato Chriſto, exultantes cecinere: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.*

Filij Conſtantini, abruptis obedientiæ erga ſummum Pontificem vinculis, quantum imperium labefactârint.

CAPVT

CAPVT XLI.

HAEC autem pax vſque ad exitum vitæ Conſtantini perdurauit, ac diutius etiã permanſiſſet, niſi eius liberi terminos Imperatoriæ poteſtatis egreſsi, & abruptis obedientiæ erga ſummum Sacerdotem vinculis, omnia perturbare & confundere maluiſſent. Ex quo tandem ſequuta eſt Imperij etiam ipſius, & omnis Imperatoriæ authoritatis ruina. Cuius ſanè tanti mali author extitit Conſtantius, Conſtantini filius, qui patris ſui Sellam, proximè quidem Sacerdotalem, ſed infra eam in Concilio Nicæno, id eſt, ſuo loco ab eo poſitam, (vbi præſcriptus erat verus Imperatoriæ poteſtatis terminus) non modò ſupra omnes priuatos Epiſcopos, ſed ſupra ipſam ſummi Sacerdotis Cathedram erexit. Id quod tum fecit, cùm reuocato in quæſtionem, quod erat maxi-

maximum fidei noſtræ fundamentum in Concilio Nicæno patefactum, atq; firmatum, ipſe aliter ſentiens, Romanum Pontificem ad ſe accerſitum, quia eius ſententiam comprobare nollet, in exilium miſit. Quo quidẽ facto ſimul Conſtantini pacem expulit, ac tantum malorum in Eccleſiam inuexit, quantum Satanæ expetenti eam cribrare libuit: cui ſcilicet tum Conſtantius omnes Eccleſiæ fores aperuit, vt quà vellet ad eam vexãdam irrumperet. Qua quidẽ temporis opportunitate ſic ille eſt vſus, vt nulla pars Eccleſiæ (præſertim Orientalis, vbi hoc malum exortum fuerat) non grauiter ab eo iactata ſit & afflicta, atq; ita tandem oppreſſa, vt ſimul cum vera Religione ipſum Imperium conciderit, ſublatoq; omni etiam ciuili cultu, atque humanitate, in poteſtatem Infidelium & Barbarorum redacta ſit, quemadmodum hodie videmus. Quod ſanè ob

hanc

hanc maximè cauſam eueniſſe ex eo intelligere licet, quòd ea pars Imperij, quæ cum Romano Pontifice ſe coniunxit, eius doctrinam & obedientiam ſequuta, omnia hæc retineat ex pace Conſtantini, quæ Oriens amiſit, id eſt, Imperium ſimul cum vera Religione & omni humano ac ciuili cultu. Idemque confirmant Hiſtoriæ veteres, quibus res geſtæ Imperatorum poſt ſuſceptam Chriſti Religionem cõtinentur. Hoc enim apud eas reperimus, qui exemplo Conſtantini Magni, ſe tanquam filios Romanis Pontificibus obſequentes præbuerunt, eos illi maximè in Imperij fœlicitatem ſucceſiſſe. Contrà verò qui Conſtantium imitari voluerunt, eos perinde atque ipſum infœliciter & ſibi, & alijs regnaſſe.

Quanta cũ dignitatis ſuæ iniuria ſummi Pontifices ſe Regibus ſubmittant, & tempus in ſæcularibus conſumant.

CAPVT

CAPVT XLII.

VT verò hoc maximum ruinæ initiũ extitit & populis, & Regibus, qui ſedes ſuas ſupra Sacerdotum Cathedras erigere conati ſunt: ſic cùm itidem Pontifices ipſi ſuum ſolium Imperatoribus & Regibus ſubmiſerunt, hinc omnis profecta eſt dignitatis & Sacerdotalis, & Imperatoriæ labes ac ruina. Hoc autem ſi tibi nouum videatur, me tanquam caput omnis erroris in Pontificibus notare, quòd Sedem ſuam ſolio Imperatorio ſponte ſubmittant, cùm pauca huius rei exempla inueniri poſſe videantur, plura verò quæ oſtendant, Pontifices cum Imperatoribus de dignitate contendiſſe, multaſque & graues controuerſias inde ortas, quòd Imperatoribus ſuperiorem locum occupare nitentibus, Pontifices concedere noluerint: tamen ſic habeto, huius indi-

gnitatis,

gnitatis, quã ſponte ſua ſubeunt ſummi Pontifices, multò plura eſſe exempla, etſi ea nõ ita perſpicua ſint, quod paulò pòſt, vti ſpero, oſtendam. Verùm antequàm ad ipſa exempla veniamus, primùm quale ſit hoc ſummorum Pontificum peccatum, & quando in hoc incidant, declarabo ex eo ipſo Conſtantini facto, de quo ſuprà mentionem feci. Qui cùm delatum illud munus de Epiſcoporum cauſis iudicandi ſuſcipere recuſaret, quòd diceret inferiorem poteſtatem de ſuperiori iudicare non oportere: quid tandem hoc dices? Aliud nihil ſanè, niſi Crucem, proprium Sacerdotij inſigne, cuius ſignũ ipſe in cœlo viderat. In hoc enim poſita eſt vniuerſa Sacerdotum gloria, & ex hoc exiſtit omnis eorum dignitas ac poteſtas: quippe qui primi ſunt miniſtri verbi, & virtutis Crucis: quã ſcilicet ſpectans Conſtantinus, vidit Epiſcoporum gloriam, & Iudicialem

eorum

eorum poteſtatem in omnes mundi Principes, quæ à nulla terrena poteſtate iudicari poſſet, omnes autem ipſa iudicaret. Vidit eorum ſedem eſſe illã, ad quam controuerſiæ omnes rectè decidantur, & ſublatæ ſunt primùm quæ hominibus cum Deo inimicitiæ intercedebãt, deinde etiam quæ inter ipſos. Quare cùm Epiſcopos, qui tam nobilem ſedem obtinerent, inter ſe contendentes videret: hanc primam indignitatem, qua ipſimet ſe affecerãt, in illis notauit, quòd qui authores pacis vniuerſo mundo eſſe deberent, ipſi inter ſe inimicitias & diſcordias gererent. Secunda verò eorum indignitas fuit, quòd cùm (Satana authore) diſcordiæ inter eos ortæ eſſent, non eadẽ poteſtate illas tollerẽt, qua cæteris pacem afferrẽt, id eſt, poteſtate ſpiritus: ſed ad ſeculare tribunal confugerent. Qua quidem indignitate non paſſa eſt Conſtantini pietas Epiſcopos ſeipſos

afficere, eadem in illis notans, quæ Paulus Apoſtolus in Corinthijs reprehendit: Primũ quidem quòd controuerſias de rebus ſecularibus inter
1.Cor.6. ſe haberent, cùm dicit: *Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia inter vos habetis.* Quibus verbis oſtendit, dignitatem vocationis eorũ id poſtulare, vt potius iniuriam in bonis externis patiantur, quàm iudicio de illis cum fratribus non ſine interioris pacis detrimento contendant. Sed cùm videret, infirmitatem eorum ad tantam perfectionem non aſpiraſſe: ſecundo loco eos grauiter reprehendit, quòd ita ſuæ dignitatis obliuiſcerentur, & quorum iudices à Deo conſtituti eſſent, apud horum tribunalia ipſi iudicio diſceptarent. Sic enim ait: *An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi à vobis mundus iudicabitur, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis?* Quæ verba hoc præcipuè in

illis redarguere videntur, quòd nimis humiliter, ac demiſsè de vocationis ſuæ dignitate ſe ſentire oſtẽderent: qui quaſi ſæcularia iudicia maiora eſſent, quàm quæ ab illis tractari deberent, ad forenſia Infidelium tribunalia confugerent. His verò quæ ſequuntur declarat Paulus, facultatem illis iudicãdi datam, nõ ſolùm de humanis negotijs, quæ ſunt ſæcularia, ſed de ipſis etiam Angelis. Neque verò quicquam tam magnum in rebus humanis eſſe poſſe, quod cum iudicio rerum ſpiritualium comparatum non minimum æſtimari debeat, ac vix dignum, quod vel ab infimis in Eccleſia iudicetur. Sic enim dicit: *An neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? Quantò magis ſæcularia? Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis, cõtemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos cõſtituite ad iudicandum.* Non hoc quidem illis præcipiens vt facerent, ſed exprobrans, quòd qui Angelos iudi-

candi poteſtatem haberent, ex ipſorũ numero idoneum & ſapientem inuenirent neminem, qui hæc minima (ita enim ſæcularia negotia appellat, vtcunque magna) iudicare poſſet, ſed ad tribunalia Infidelium confugerent. *Ad verecundiam*, inquit, *veſtrã dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquã qui poßit iudicare inter fratrem ſuum?* Sed frater cum fratre *iudicio contendit: & hoc apud Infideles.* Verùm ſiue apud fideles, ſiue apud Infideles eiuſmodi ſæcularia negotia tractentur, quid de illis, ſi cum ſpiritualibus iudicijs conferantur, ſentiat Apoſtolus: ex ijs, quæ dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror. Ex quo facilè intelligitur, quanta cum dignitatis ſuæ iniuria ſummi Pontifices, qui ſummum in ſpiritualibus iudicijs locum tenent, tempus in ſæcularibus conſumant. Similem Apoſtoli indignitatem ſe ſubituros agnouerunt in officio diſtributionis bonorum Ec-
clesiæ,

cleſiæ; quæ illorum arbitrio permiſſa fuerat ab eis, qui pretia poſſeſsionum ſuarum ante illorum pedes proiecerunt, ſi ipſi diutius in eo perſeueraſſent. Videbant enim quàm id ſe neceſſariò ab officio digniore, quod eſſet ipſorum proprium, abſtraheret, idq́ue palam teſtati ſunt, & quaſi cum quodã ſtomacho, cùm dicerent: *Non eſſe bonum, vt ipſi relinquerent verbum, & miniſtrarent menſis.* Quicquid enim in hoc genere feciſſent Apoſtoli, etiam ſi bona Imperij orbis terræ illis tradita eſſent ipſorum arbitratu diſtribuenda (id quod videtur eſſe proprium Imperatorum & Regum) tamen non plus dignitatis habuiſſet id muneris, quàm miniſterium eorum qui menſis, aut (ſi quid etiam leuius dicere volumus) qui rei veſtiariæ ſeruiunt. Neq; enim bona externa & aduentitia, qualia ea ſunt & quantacunque, ad alium vſum nobis accommodata ſunt, quàm ad

victum & veſtitum corporis comparandum. Quare Apoſtoli cùm pati non poſſent, hanc indignitatem & iniuriam ſibi & ſuo Apoſtolatus officio fieri, ſi ab cœleſti animarum miniſterio ad terrenarum rerum procurationem traducerentur: cura & diſtributione externorum bonorum inferioris ordinis Miniſtris relicta, ipſi ad Pontificiũ munus ſine vlla intermiſsione obeundum totos ſe conuerterunt.

Quomodo Epiſcopis temporale Dominium habentibus eius curam non liceat negligere.

CAPVT XLIII.

VRBIN. QVID ergo? Epiſcopi, qui nunc Ciuitates & Prouincias ſuo Imperio & ditioni ſubiectas habẽt, id quod Apoſtolis minimè contigit, an vis vt penitus eandẽ ſequantur, quam ipſi Apoſtoli, regendi formam, ita vt negle-

neglecto temporali officio, ſpirituali toti incumbant?

POLVS. Hæc quidem non eſſet ſpiritualis ratio gubernãdi. Nec enim ſpiritus hoc iubet, vt quicquam eorũ, quæ tuæ curæ & fidei ſunt commendata, propterea quod temporale ſit, negligas. Neq; verò id fecerunt Apoſtoli, qui vt Ciuitatibus & Prouincijs non præfuerint: tamen tantum habuerunt ex bonis externis, quæ eorum arbitratu diſpenſabantur, quantum ſatis eſſe poſsit ad nos ipſorũ exemplo docendos, quemadmodum res externæ, quantumuis magnæ & amplæ, adminiſtrari debeant. Animaduertis ne, quo pacto Apoſtoli non negligebant curam bonorum temporalium? Quæ licet ipſi non tractârint, tamen cùm eorum procurationem ſpectatæ fidei & virtutis hominibus committerent: an non hæc magna cura illorum fuit in eiuſmodi viris conquirendis, quibus

hoc negotium daretur? Nec verò Paulus Apoſtolus cùm de controuerſijs ciuilibus inter Corinthios loquens, diceret: *Qui ſunt contemptibiles apud vos, hos potius iudices conſtituite*, quàm ad Infidelium tribunalia accedatis: curam decidendi ciuiles controuerſias omiſit, ſed eam ſe tam ciuilium rerum, quàm ſpiritualium gerere oſtendit, cûm eos, qui maiore ſpiritualium cauſarum cognitione præditi plus animis prodeſſe poſſent, ad ſpirituales cauſas reſeruaret, temporales cõmendans ijs, qui plus eorũ vſu atq; ſcientia valerẽt. Quos tamen in toto ſpirituali corpore contemptibiles, ac minus nobilia membra appellat. Iam credo vides in vniuerſa gubernandi Pontificatus ratione & forma ad Apoſtolorum exemplum reuocanda, me non ciuilium rerum neglectum, ſed cautionem proponere: talem verò curam ac ſtudium, cuiuſmodi ſolent illi adhibere, qui

qui toti rebus ciuilibus incumbunt, vt omnia agantur ordine, & ſuo quidque loco ac tempore. Quod tum fit à nobis, cùm neque maiorum rerum cura ad minores res negligendas adducimur, neque minorum rerum procuratione à maiorum ſtudio abſtrahimur.

Summum Pontificem, ſi curam habet rerum temporalium, ſimilitudinem habere cum Chriſto deſcendente de Cruce.

CAPVT XLIIII.

HVC verò ſpectat ſumma totius orationis meæ, vt hoc Pontificibus perſuadeatur, contra ſuam dignitatem eos facere, cùm deſcendunt de Cruce. Quod quidem ſi Chriſtus feciſſet tum, cùm ad id à Iudæis inuitaretur: omnis ſcilicet fructus gloriæ, & humani generis ſalus

 periſſet.

periſſet. Neque in hoc ille ſe Filium Dei eſſe oſtendiſſet (vt illi ipſi, qui eũ ad id inuitarent, interpretari videbantur) imò verò quia erat Dei Filius, idcirco de Cruce non deſcendit. Itidẽ Romanus Pontifex, ſi Vicarij Chriſti partes implere velit, nunquam debet (quicunque is ſit à quo inuitetur) deſcendere de Cruce: quippe cùm illa ſit & vera ſedes gloriæ, & vera ſalus tùm ipſius, tùm omnium, qui eius curæ & fidei commiſsi ſunt.

VRBIN. Quam tandem ſimilitudinem habet ſedes Petri, in qua Vicarius Chriſti ſedet, ad Crucẽ in qua Chriſtus eſt ſuffixus? Ecquid verò commune habet, quod nunc agimus de cura rerum temporalium, cum deſcenſu Chriſti de Cruce?

POLVS. Hoc facilè intelligemus, ſi prius cognouerimus, ſedem Vicarij Chriſti eſſe illam ſedem, quam Petrus Romæ conſtituit, cùm ibi

Chri-

Chriſti Crucẽ fixit, ſicuti eum facturũ Chriſtus prædixerat, cùm ei diceret: *Tu me ſequere*, atque adiungeret, *cùm eſſes iunior, cingebas te, & ibas quò volebas: poſtquàm autem ſenueris, tunc alius te cinget, & ducet quò non vis.* Quod quum obſcurius eſſet dictum, Euangeliſta ſic interpretatus eſt, vt oſtenderet per hoc Chriſtum mortem eam ſignificaſſe, qua Petrus Deum eſſet glorificaturus. quæ quidem mors Crucis extitit, qua Romæ affectus ſedem & Cathedram ibi fixit: de qua, quoad Pontificatum geſsit, nunquam deſcendit, ſed exaltatus cum Chriſto in ſpiritu, ſic in ea manus & pedes clauis infixos habuit, vt non quò eum ſua voluntas ferret, ſed quò voluntas Dei duceret, ibi hærere vellet, mentem & cogitationem ſemper defixam haberet, & omnia præclara Pontificatus munera obiret, quæ Chriſtus executus eſt in Cruce tum, cùm pecca-

Ioan. vlt.

toribus

toribus, vt latroni ipſi, aditum ad cœlum aperuit: niſi quòd Petrus id non ſuo, ſed Chriſti nomine: Chriſtus autem & Patris nomine, & ſuo faciebat. Hoc verò Petrus dum faceret, omnem mundi gloriam ad hanc ſuam Sedem traxit. Quicquid enim poſteriores Pontifices in hoc mundo glorioſum habuerũt, id totum ex ea Cruce, in qua ille Dominum ſuum ſequutus erat, defluxit: & quò magis hac in re eum imitati ſunt, vt nullius vnquam conſilio induci ſe paterentur, vt de Cruce deſcenderent, hoc magis aucta eſt & amplificata eorum gloria. Quod ſi obſcurius dictum videatur, illud ſcire oportet, munus ipſum Pontificatus Crucem eſſe, & eam quidem omnium maximam. Quid enim magis ad Crucem & ſolicitudinem animi dici poteſt, quàm vniuerſarum orbis terræ Eccleſiarum cura atque procuratio? Hæc autẽ eſt illa Crux Vicarij Chriſti,

quam

quam Petrus Romæ fixit, cui ſi eius Succeſſores ita manibus & pedibus eſſent affixi, vt nulla re inde ſe auelli ſinerent: tum quidem ipſi vel in media Cruce maiore cum animi tranquillitate, & pace viuerent, quàm omnes mundi Principes, itemque maiore in honore & gloria. Nonne vides, quãtam ille ex hac Cruce gloriam, quantam ſalutem & ſibi, & cæteris, qui Petrum ſecuti ſunt, conſequutus ſit? Quinam fuerunt, qui in tantam venerationem apud Reges & Principes, atque omnes nationes ſummum Pontificatũ adducebant? Nonne illi Pontifices, qui ſe huic Cruci affixos & hominibus, & Angelis oſtenderunt? Quando verò deficere cœpit hæc in animis hominum impreſſa veneratio? Nonne poſtquam ipſi Pontifices oſtẽderunt, ſe non libenter in hac Sede quieſcere: Conſtantinique ſedem ſibi magis placere, in quã libenter è Cruce

deſcen-

deſcenderent? Quo factum eſt, vt nullius Sedis honorem ritè conſeruarent, & ſibi ac populis maximum ſalutis diſcrimen tum afferrent. An ſatis adhuc intelligis, quemadmodum ſummi ipſi Pontifices ſeſe de honoris gradu deijcientes, nimiſque demittentes, & ſibi, & vniuerſæ Eccleſiæ maximè noceāt: & quid ſit, de Cruce deſcendere?

VRBIN. Equidem affirmare nō poſſum, hæc à me ſic intelligi, vt non planius etiam declarari velim. Veruntamen quia eiuſmodi eſſe video, vt ad ea penitus cognoſcenda (quemadmodum ipſe antè dixiſti) longa opus ſit in diuinis rebus exercitatione, atque meditatione, quam ego per ætatem nondū adhibere potui: in præſentia plura abs te non requiram, ſed hoc ero contentus, quôd tantum ex his, quæ dixiſti, percepiſſe mihi videor, quantum ſatis ſit ad me excitandum, vt ijſdem de rebus & mecum ipſe accuratius

poſt-

poſthac cogitem, & cum tuî ſimilibus ac tecum, quoties occaſionem ero nactus, conferam.

Summum Pontificem non deſcendere de Cruce, ſed cum Cruce, quando neceſſitate coactus verſatur in procurandis rebus ciuilibus. Et quomodo ea neceßitas ſit intelligenda.

CAPVT XLV.

NVNC verò, quod ad ipſum ſermonem attinet, illud vnum abs te mihi explicari velim. An, cùm ſummus Pontifex ad vrbanarum rerum curam deſcendit, quæ ſine eius authoritate & procuratione rectè adminiſtrari non poſsint, tunc eum deſcendere de Cruce intelligas?

POLVS. Quin deſcendat, non eſt dubium, vtpote cuius Sedes ſupra terram poſita eſt: itaque quoties ille quidem in procurandis humanis rebus

verſa-

verſatur, toties deſcendit. Verùm ſi neceſsitate coactus hoc faciat, non de Cruce iam, ſed cum Cruce eum deſcendere, ego ſanè haud verebor affirmare. Neceſsitas enim ſi cogat, tum Deus eum iubet attendere, & Chriſtus imperat, qui nihil ſine Cruce illius curæ committit. Ipſa autem neceſsitas eſt quædam pars Crucis. Neceſsitatem verò intelligo, quum publici boni cauſa, non propter vllum priuatum ſuum commodum deſcendit: nec verò ipſum ad id impellere debet quoduis bonum publicum, quod ad huius duntaxat vitæ rationem pertineat, niſi cum eo coniunctum ſit etiã aliquod bonum diuinum. Qui autem ſic deſcendit, ſemper cum Cruce deſcendit, & ipſum Chriſtum ſecum habet; qui nunquam deſcendit, niſi vt aſcendat, eoſque ſecum attollat, quorum cauſa deſcenderit. Nec Pontifici ſemper vera ac iuſta erit deſcendendi

cauſa,

cauſa. Sed vereor, ne hæc à me dicantur obſcurius, quàm vt ipſe planè intelligas. Quare magis etiam conabor explicare, quod de toto hoc deſcenſu Pontificis ad humanarum rerum procurationem dixi: quam nunquam mea quidem ſententia ei adimendam cenſeo: ſed modum requiro, vt non niſi ſeruata perſonæ ſuæ dignitate deſcendat. Modus vero is erit, quem in Duce populi Dei Moyſe requirebat Exod. 18. eius ſocer, rectè illum admonens, & reprehendens, quòd modum non adhiberet, cùm minimas quaſque cauſas vellet ipſe cognoſcere. Modum autem hunc docuit, vt minoribus cauſis ad alios minores Iudices reiectis, ipſe totam ſuam curam & ſtudium ad maiores conuerteret, quæ ad Deum pertinerent: niſi aliquando minores Iudices minoribus cauſis iudicandis minus idonei viderentur. Tunc enim conſuluit, vt ad eum referrent. Hic

ergo

ergo ſit, quem dixi, modus. Quanquam ne hoc quidem exemplum ſatis declarat, quid ſentiam de toto hoc deſcenſus genere à ſede Pontificia, ad regendas Ciuitates, & ad curam rerum ciuilium ſuſcipiendam. quod melius intelliges, ſi cogitaueris: quemadmodum Pontifex nunquam debet Patris & Pontificis nomen ac perſonam deponere, ita eum nunquam oportere ſic ad tractandas res ciuiles delabi, vt ipſa tractatio aliquid habeat, quod non cum nomine & honore Pontificis & Patris maximè conueniat, aut certè Tutoris, qui in Patris demortui locum ſuccedat. Infra hanc verò perſonam nullam Pontifex ſuſcipere debet, cùm ad negotia ciuilia tractanda accedit. Neque verò munus ipſum Tutoris ei perpetuò exercendum eſt, ſed tantùm pro tempore, ſtatimque illud relinquendum, & alijs hæc cura erit mandanda, vt viderit ea ſe abduci à Ponti-

ficio

ficio munere fungendo. Id quod paulò antè Apoſtolorum exemplo demonſtrauimus. Qui cùm ad tempus officium illud obijſſent, vt bona & pretia poſſeſsionum ad eorum pedes proiecta indigentibus diſtribuerent, ſtatim vt ſenſerunt, occupatione abduci ſe ab officio Pontificio: hoc munere alijs idoneis viris delato, ipſi ſe totos ad Sedem Pontificiam, & ad ipſum Pontificium munus colendum retulerunt, à quo tamen revera nunquam omnino diſceſſerunt. Act. 6.

Apoſtolos, quamuis eis Principes & Ciuitates non parebant, perfectè tamen docuiſſe vim artis Ciuilis, ſiue Politicæ.

CAPVT XLVI.

EVNDEM igitur animum in ijs quæ ad regendos populos pertinent gerere oportet, atque oſtẽ-

S dere

dere eorum Succeſſores, idemque omnino exemplum ſequi. atque hîc quidem aliam perſonam ſumunt, cuius exemplum in Apoſtolis non viderunt, quia nondum illis Principes, & Ciuitates parebant. Ea verò eſt perſona Magiſtri Regum & Principum: quanquam quid Principes docere debuerunt, ab Apoſtolis didicerunt.

VRBIN. Quid tandem ab Apoſtolis acceperunt eorum Succeſſores præter diſciplinam & ſcientiam, quæ ad regnum Dei pertinent?

POLVS. Hanc ipſam quidem illi inprimis didicerunt, ſed cum hac eam etiam, quæ ad regnum hominum adminiſtrandum refertur, quæ ars ciuilis dicitur, quam Philoſophus ille Politicam dixit.

VRBIN. An verò artem hanc Apoſtoli vnquam tradiderunt?

POLVS. Vim quidem artis docuerunt, cùm regnum cœlorum docerent:

rent: ipſam verò artem non ipſi, ſed eorum Succeſſores exercuerunt, poſtquam his Deus tradidit ciuitatum & populorum imperium, quaſi materiam quandam exercendæ àc docēdæ huius artis, omnium, quæ in terris ad humanæ vitæ vſum tradātur, præclariſsimæ. Quam quidem multi profeſsi ſunt, & hi maximè, qui præ cæteris ingenio, doctrina, opibus floruerunt, Philoſophi, & legum & ciuitatum conditores. Qui tamen cùm verum & legum, & ciuitatum fundamentum ignorarēt: nemo ſanè eorum fuit, qui artem illam perfectè tradiderit. Ex his autem, qui Apoſtolos præceſſerunt, nullus eſt in ea tradenda cum Moyſe comparandus, qui quidem fundamentum legum, & ciuitatum condendarum non ignorauit, ſed illud non explicauit. Reliqui omnes ex omnibus nationibus (qui ſeſe ſapientiæ amatores, ac ſtudioſos profitebantur) hoc fundamētum pror-

ſus ignorârunt, quod Apoſtoli nouerunt, & explicârunt. Eorum autem Succeſſores ab illis verbo edocti, poſtea, qualénam id eſſet, & verbo, & exemplo demonſtrarunt. Quomodo autem id fecerint, nimis longum nunc eſſet exponere. Quare ſatis erit te hoc intellexiſſe, de quo, cùm plus temporis atque otij dabitur, liberum tibi fuerit me, ad rationem reddendam eorum quæ dixi, vocare.

Diuino conſilio adiectam eſſe Pontificibus temporalem iuriſdictionem, quã Apoſtoli non habuerunt: & Imperatorum ac Regum ſubmiſſionem & obedientiam. Et, vtrumque in ſacra Scriptura prædictum videri.

CAPVT XLVII.

QVOD autem vides adiectam Pontificibus temporalem iuriſdictionem, quam Apoſtoli non habue-

habuerunt:hoc ea ratione factum exiſtimare debes, quã Chriſtus ſignificauit, vbi eis præcipiens, vt primùm Dei regnum quærerent, adiunxit: *Et hæc omnia* (de his loquens, quæ ad hanc vitam tuendam pertinent) *adijcientur vobis*. Sunt autem ea quidem ita prolixè & copiosè adiecta, vt quorum Patres & Maiores, dum regnum Dei prædicarent, ſummi Reges terræ & Principes virgis ante ipſorum tribunalia cædebant, & omni genere cõtumeliarum afficiebant, his poſtea faſces Imperij ſubmitterent. Quod ſanè futurum viſus eſt prædicere Iſaias Propheta, cùm ad Eccleſiam loquens, diceret: *Filij eorum, qui te humiliauerunt, curui ad te venient, vt adorent veſtigia pedum tuorum &c.* Quæ nunc fieri nos videmus in ea ſubmiſsione & obedientia, quam Reges & Imperatores ſummis Pontificibus Chriſti Vicarijs, & Apoſtolorum Succeſſoribus

Matth. 6.

Iſaiæ, 60.

exhibent. Cùm verò multarum Ciuitatum & Prouinciarum imperium Pōtificibus delatum cernimus, id quidem non tam voluntate ipſorum Principū, qui hæc vltrò dederūt, eueniſſe, quàm diuino conſilio factum eſſe exiſtimare debemus ad ipſorum Imperatorum & Regum ſalutem, commodum & honorem: vt ſcilicet haberent, à quibus artem & diſciplinam regendi populos diſcerent, ex quo pendet omnis eorum honor & ſalus. Hæc enim ars (vt cætera omnia quæ Apoſtoli docuerunt) ſatis explicari non poteſt, niſi exemplo ſimul cum verbo proponatur: exemplo autem nemo docere poteſt alium imperare, qui non ipſe aliquando imperium geſſerit. Ideo ad Regum ſimul & ad populorum commodum & ſalutem diuino conſilio factum videtur, vt Pontificibus quaſi quædam imperij pars ſeponeretur, in qua adminiſtranda, exemplo ſuo Impera-

peratores & Reges proprium eorum, hoc eſt, regiam artem, & veram regendi populos rationem docerent.

Petrum & Paulum noua urbis Romæ fundamenta ieciſſe imperante Nerone: & quòd leges verius dicendæ ſint fundamenta ciuitatum, quàm lapides, cùm ciuitates ſine muris ſtare poſſint, ſed non ſine legibus.

CAPVT XLVIII.

HVIVS artis fundamentũ primum iecerunt Apoſtoli Petrus & Paulus in hac règia Vrbe & tum maximæ partis orbis terræ Domina, atque eo tempore, cùm maximè hæc ars amiſſa videbatur Nerone imperante. Quo quidem ipſo tempore illi Romæ diuini regni Præcones extiterunt, & fundamenta nouæ huius Romæ, quæ tandem à Pontificibus regeretur, iecerunt.

VRBIN. Quæ ſundamenta hæc eſſe intelligis?

POLVS. Recognoſce primùm mecum illa vrbis fundamenta, quæ iecit Romulus: deinde quæ Numa, qui alter eius conditor eſt habitus. Romulus autem fundamenta vrbis iecit non modò tùm, cùm domos muro circundedit, ſed multò magis, cùm vim & ferociam illius populi metu legum ciuilium, & quaſi vinculis coërcuit. Hoc quidem eò maius & firmius fundamẽtum extitit, quò magis ſine muris, legibus ſtantibus, Ciuitas ſtare potuit, quæ ſine legibus nullo modo potuit. Fundamentum verò, quod Numa iecit, multò his firmius fuit: ſi verum eſt id, quod de eo ſcribit Liuius, cùm ait, illum non tam mœnibus, quàm Religione vrbem cinxiſſe. Qua quidem Religione ita ciuium animos deuinxit, vt propulſato legum timore fides & iuſiurandum ciuitatem regerent.

Liu. lib. 1. ab Vrbe condita.

Atque

Atque hic ſane eò progreſſus eſt, quò humanum ingenium ad incolumitatem & ſalutem ciuitatum progredi potuit. Nihil enim præter cognitionem veræ Religionis ei defuit: quæ ſi adfuiſſet, opus ille quidem omnium humanorum operum perfectiſsimum, atque abſolutiſsimum,& pluſquam humanum perfeciſſet. Quod autem à Numa prætermiſſum eſt, id Apoſtoli ſuppleuerunt: qui ſoli ex hominum numero digni ſunt, qui Ciuitatũ Conditores appellentur, ſolique & rectas leges, & veram Religionem tradiderunt. In qua exædificanda ſi eorum Succeſſores eam formã ſequuti eſſent, quam illi præſcripſerant: profectò pulcherrima vrbs omnium, quæ in terris vnquam conditæ fuerint,& fortiſsima, ac munitiſsima Roma extitiſſet: taliſque, vt ab illa reliquæ Prouinciæ omnes exemplum & conſtituendarum,& conſeruandarum Ciuitatum peterent.

Quam

Quam vnam ſcilicet ob cauſam gubernanda Pontificibus à Diuina prouidentia eſt tradita, in cuius poſſeſſionem ingreſsi ſunt illi quidem, non vt Romulus cum tumultu & ſanguine, non vt Numa cum exercitu ciuium: ſed quomodo ipſorum Dominus in mundum venit à Deo miſſus & datus, vt eſſet ſeruator omnium: hoc eſt, præter omnium hominum opinionem & expectationem, niſi quatenus per Prophetas voluntatem ſuam aperuerat, atque prædixerat. Quo quidem modo eos Iſaias ingreſſuros eſt vaticinatus, cùm de illis, ac de Eccleſia dicit: *Et ſuges lac Gentium, & mamillis Regum lactaberis.* [Et alibi.] *Et ædificabunt deſerta à ſeculo, & ruinas antiquas erigent.* [Et] *dicetur vobis: fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam cum eis. Et ſcietur in Gentibus ſemen*

Iſai.60.

Iſai.61.

ſemen eorũ, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. [Et alio in loco] *Aedificabuntur* (inquit) *in te deſerta ſæculorum: fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis.* Hæc Iſaias. Iſai 58.
Ecquid autem horum eſt, quod non euentus rerum cõprobauerit, de Principibus illis Apoſtolis, & de eorum Succeſſoribus intelligendum eſſe? Quia verò nos loquimur de fundamentis Vrbis Romæ, & de eius Conditoribus, Iſaias autem de Conditoribus Ciuitatum à Deo datis: dicit, fundamenta generationis & generationis ædificabunt. Quò magis hæc cognoſcantur, diſtinguenda eſt primùm generatio à generatione. Sic enim diuerſitatem fundamentorum melius intelligere poterimus, & qua ratione fundamentum Apoſtolorũ ſit diſtinctum ab reliquorum Vrbis Conditorum

rum fundamentis. Prima autem generatio eſt illa, quam habemus ex parentibus, quæ quidem eſt carnalis: altera ex Deo, quæ ſpiritualis eſt, de qua
Pſal.21. ſic Dauid vaticinatur: *Et generatio ventura laudabit Dominum.* Eandem autem magis exprimit, cùm ſubiungit: *Et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Quòd verò dicit Iſaias: *Et ædificabunt fundaméta generationis & generationis*, de his nouis Conditoribus loquens: id eò quidem ſenſu accipiendum videtur, vt intelligatur qui iacit fundamenta ſecundæ generationis, eundem confirmare quoque fundamenta prioris: qui verò prioris tantùm generationis fundamenta iacit, nõ continuò eundem iacere poſterioris. Hæc ſcio obſcurè dici, ſed exemplo horum trium Conditorum Vrbis Romæ dilucidius explicari poterunt, de quibus iam diximus, quo pacto Romulus, qui in ea fundamenta primum

lapidem

lapidem iecit, niſi fundamenta legum ciuilium adieciſſet, fruſtra lapidibus ædificaturus fuerit. Leges enim verius dicendæ ſunt fundamenta Ciuitatum, quàm lapides: quia (vt dixi) Ciuitates ſine muris ſtare poſſunt, at ſine legibus non poſſunt. Ad hæc ipſa legum fundamenta adiecit Numa fundamentum Religionis, maius illud quidem & auguſtius, quàm fundamenta legum ciuilium: quæ niſi Religione ſuffulciantur, atque ſuſtententur, facilè labuntur & corruunt. Neque aliud præterea fundamentum iacere neceſſe fuiſſet, ſi eius Religio vera extitiſſet. Quoniam verò illa & humana ratione excogitata, & multis erroribus referta erat: idcirco firmum eſſe non potuit hoc fundamentum. Qualis qualis aũt fuit Religio, tamen ea ex parte, qua vera erat, id eſt, qua cum lege Naturæ conueniebat (quæ vim & bonitatem ſuperioris numinis, ex qua ſcilicet pen-

dêret

dêret hominum fœlicitas, agnoſcebat) multum valuit ad ſuſtentanda fundamenta generationis carnalis, & ad omnia ea bona procurãda, quæ ab illa expetuntur. Ex hoc autem fundamento, atq; ex hac radice ortæ ſunt ac demanârunt omnes illæ præclaræ & illuſtres Romanorũ virtutes, quibus Imperium & pararunt, & tam longè latéque propagarunt, vt illud meritò prolatum fuerit:

Ennij verſus

Moribus antiquis res ſtat Romana, viríſque.

A quibus quidem cùm poſteri eorum degeneraſſent, vnâ cum Imperio fundamenta ciuitatis corruerunt. Eo autem ipſo tempore miſsi ſunt à Deo Apoſtoli, vt fundamenta generationis & generationis inſtaurarent, & ruinas antiquas erigerent: cùm ſcilicet fundamentum & Romuli, & Numæ iam corruerat. Vtrumque autem refecerunt iacto veræ Religionis fundamento.

to. Tunc enim ſimul generationis & carnalis, & ſpiritualis fundamenta iecerunt, & Ciuitatem omnibus numeris abſolutam conſtituerunt.

Apoſtolos verius iecisſe nouæ Romæ fundamenta, quàm Conſtantinum, cùm Conſtantinopolin nouam Romam appellaret. Et, nulli Cæſarum aſcribendum eſſe, quòd Roma nunc vrbis veſtigium habeat, quòd imperet, quòd floreat, ſed ipſis Apoſtolis, ac præcipuè inuectæ illi Petræ, quæ eam contra omnes Aduerſariorum impetus ſuſtentat.

CAPVT XLIX.

QV Omodo, quæſo, & quo tempore intelligis, Apoſtolos in poſſeſsionem Vrbis Romæ veniſſe, atque eam refeciſſe? *VRBIN.*

POLVS. Poſtquam ab alijs diruta fuiſſet, tùm veriùs Apoſtoli fundiméta

nouæ

nouæ Romæ iecerunt, quàm Conſtantinus, cùm veteri relicta Roma Bizantium migraſſet, vbi Conſtantinopolim exædificauit, & nouam Romam appellari iuſsit. Etenim veriùs fuit noua Roma, cuius fundamenta iecerunt Apoſtoli eo in loco, vbi vetus condita fuerat, quam offenderunt euerſam ac dirutam ab ipſis fundamentis, Legum ſcilicet, & Religionis, non murorum atque domorum, quæ nunquam fuerant magnificentius extructa, quàm eo tempore cùm Apoſtoli nouæ Vrbis fundamenta iacere inſtituerunt. Tunc enim maximè florebat, & ſplendebat Roma ædificijs. Audiſti, credo, illud Auguſti Imperatoris: *Inueni lateritiam, relinquam marmoream*. Quod cùm Nerò accepiſſet, addidit ſuum: *Inueni marmoream, relinquā auream*. Sed quò magis tum Roma auro fulgebat, quò magis hoc ædificiorum genere florebat; eò vehementius vera

funda-

fundamenta labefactata fuerant, & ita quidem, vt prorſus ruinam minarētur. Num putas magis vnquam oppreſſas fuiſſe leges tùm ciuiles, tum eas, quæ ad Religionem pertinerent, quàm regnante Nerone? Num ergo magis vnquam, quàm eo tempore Romam cenſes funditus euerſam? (ſi vera ſint quæ ſuprà de fundamentis Vrbium diximus, quæ magis in legibus, quàm in lapidibus vllis, aut ædificijs etiam aureis conſiſtant) tum, inquam, acceſſerunt Apoſtoli, vt vera fundamenta alterius generationis hominum iacerēt, id eſt, eius quæ non ſecundùm carnē, ſed ſecundûm ſpiritum viueret. Quæ noua generatio, & nouus populus appellatur, cui cùm leges piè ſanctèque viuendi traderent, tum regnandi, & imperandi veras artes, & veram condendarum Ciuitatum rationem ſimul tradiderunt, vereque tunc populo Romano Apoſtolorum diſciplina in-

ſtituto illud dici potuit:

Verg. lib. AEnei. 6.

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
(Hæ tibi erunt artes) paciſq; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Neq; enim vnquam ante hoc tempus rectè hanc artem didicerat. Nec enim Romuli ac Numæ leges hāc tradere potuerunt, quæ Apoſtolorum doctrinæ explicanda reſeruabatur. Quicquid enim boni & vtilis eſſe potuit in legibus Romuli, aut veri & ſancti in Numæ Religione, id in melius (eorum ſublatis erroribus) conuerterunt, magiſque confirmârunt. Fundamenta autem regni Sacerdotalis iecerunt, qua imperandi forma nulla ſtabilior, nulla glorioſior, magiſue ſalutaris humano generi excogitari potuit. Ea verò ſola eſt, quæ volentes per populos dat iura, & omnia complectitur, quæ in nulla alia regendi forma lau-

dari poſsint: vtpote quæ & omne genus iuſti imperij continet, & omnia, quæ ſpeciem aliquam iuſtitiæ habeant in aliorum regnis, moderatur & corroborat. Hoc quidem conſtat, ſi quod Roma veſtigium vrbis nunc retineat: id opus eſſe Apoſtolorum, & eorundem Succeſſorum Romanorum Pontificum, non Romuli, aut Numæ, neq; etiam Cæſarum. Nullum ex ipſorum operibus fuit, quod non olim Barbarorum armis, aut moribus deletum ſit, ac dirutum. Quòd autem Roma nunc effigiem vrbis habet, quòd imperat, quòd adhuc floret: hæc omnia ab Apoſtolis habet, qui Petra illa inuecta, quæ ſola poteſt duratura vrbis fundamenta contra omnes aduerſariæ poteſtatis impetus ſuſtentare, & quam nemo ex his, qui veteris Romæ Conditores habiti ſunt, nouerat, nouam Romam ſuper hanc fundârunt, & Sacerdotale Regnum ſuper eandem conſtituerũt.

Hæc verò neſcius non ſum maiore explanatione indigere, vt plenius abs te intelligantur, quæ de fundamentis vrbium, deque ratione gubernandi, & præſtantia ſummi Pontificatus ſupra omnes alias poteſtates, quæ in terris ſint, diximus.

Reges nulla in re magis lætari debere, quàm cùm vident maximè fulgere poteſtatem Pontificiam, quæ Imperatoriæ tantum præſtat, quantum Sol Lunæ, & dies nocti.

CAPVT L.

CVM ante Chriſtum non defuerint Rectores populorũ, quibus idem eſſet propoſitum, quod ſummi Pontifices profitentur, vt ad beatæ vitæ portum ſuos deducerent: hîc quidem ad cognoſcendam ſingulorum dignitatis & poteſtatis præſtantiam, ratio & progreſſus gubernandi, ac fines,

ac fines, quò quiſque populum ſuum perduxerit, eſſent demonſtrandi. Qui verò propius portum cum ſuo populo perueniſſet, huic ſine vlla dubitatione deferenda eſſet palma honoris & poteſtatis. Sed hæc nunc perſequi, quoniam temporis ratio non patitur, in maius otium reijciantur, cùm & ſolutiores ab omni alia cura & occupatione erimus, & locus magis idoneus ad hæc ipſa accuratius tractanda nobis dabitur. Satis verò à nobis in præſentia dictum videri debet ad propoſitam illam quæſtionem, qua quærebas, quid iuris & poteſtatis eſſet ſummo Pontifici in Reges & Imperatores. Si quidem ex hoc noſtro ſermone intellexiſti, cùm has poteſtates tanquam duo lumina in mundo ad hominum vtilitatem à Deo conſtitutas eſſe conſtet, tantum præſtare Pontificiam Imperatoriæ, quantum Solem Lunæ, diē nocti: eandemq; ideo inſtitutam eſſe,

vt præluceat omni generi hominum, præcipuè autem Regibus & Imperatoribus. Nullum enim hominum genus eſt, quod maiorem ex eo fructum percipere poſsit, quàm ipſi Reges, & Imperatores, qui præter cæteros omnes hac poteſtate indigere videntur, à qua doceantur, & in veræ, beatæque vitæ doctrina, viaque dirigantur, & confirmentur. Quocirca nulla illi re magis lætari debent, quàm quum vident Pontificiam Poteſtatem in terris maximè fulgere: contrà nulla re magis dolere, quàm obitu ſummi Pontificis, qui ſua in eos authoritate vti & nouerit, & velit. Neſcio an legeris carmina illa Caroli Magni, plena doloris & pietatis, quæ in Hadriani Pontificis ſepulchro ſunt inſculpta. Quibus Imperator ille & rebus geſtis, & pietate verè Magnus mortem ſummi Pontificis miſerabiliter deflens, oſtendit quanti ab hominibus æſtimanda ſit, præcipuè

verò

verò à Regibus & Imperatoribus, boni Pontificis vita. Verùm hæc ego omnia etſi non ſatis pro argumenti dignitate, pluribus tamen quàm putâram, pro temporis anguſtia de Summi Pontificis vi & natura diſſerui: quæ non tam huc ſpectant, vt mentes noſtras ipſius rei cognitione & intelligentia illuſtrent, quàm vt voluntates noſtras, quibus onus hoc eligendi Summi Pontificis eſt impoſitum, eò magis inflamment, quò copioſius ſunt explicata, vt cùm cognouerimus, qualiſnam ſit Romani Pontificis Vicarij Christi poteſtas, & quanta, quamq́ue ſalutaris tùm Regibus, tùm populis, atque adeò vniuerſo humano generi: maiore ſtudio & cura in id incumbamus, vt qui ad tantum munus ſuſtinendum ſit idoneus, perquiramus: ne ſi hac in re aut negligentiores, aut priuatis noſtris cupiditatibus deditı fuerimus, rei non vnius hominis ſanguinis, ſed vniuerſi

propè humani generis deprehendamur.

Quid agendum ſit in Conclaui congregatis ad eligendum ſummum Pontificem.

CAPVT LI.

NOBIS autem illud inprimis tenendum eſt, vbi omnem curam & diligentiam adhibuerimus: talem tamen virum inuenire ſupra humanum iudicium eſſe. Quare à ſumma Dei benignitate petendum, vt nobis oſtendat, quem ipſe elegerit. Itaque præcipuum nunc munus noſtrum erit, vt precationibus operam demus, exemplum Apoſtolorum ſequuti, qui cùm Collegã eſſent in defuncti locum ſuffecturi, eodem modo precati ſunt: Magiſtrum ſcilicet imitantes, qui quo tempore ipſos electurus eſſet, in precibus pernoctauit,

Acto.1.

Lucæ.6.

vt ſuo

vt ſuo exemplo doceret, quantopere à Deo orandum ſit, vt nobis indicare velit, quinám ſint ad tantum munus obeundum maximè idonei. Quare iterum atq; iterum te ad precandum hortor, & eò magis quidem te, quo minus per ætatem animum habes deprauatum illis cupiditatibus ambitionis & auaritiæ, quæ mentes eorum, qui his tenentur, ſolent vel à precibus abducere, vel cum ad eas acceſſerint, ita deprimere, vt ſe ad cœlum erigere nullo modo poſsint: tuas verò precationes, cùm ex animo orabis, videre videor quaſi Angelis deferentibus ſtatim ad aures Dei euolaturas. Hoc vnũ reſtat, de quo te admoneam, qua precandi ratione, & quo genere vti debeas. Genus autem optimum eſſe ſentio, ſi primùm non ſolùm pro te Deum roges, vt ab omni praua cupiditate animum tuum liberet, ſed idem pro omnibus Collegis tuis poſtules: hoc tibi per-

perſuaſum habens, neminem noſtrûm ſua ſponte ita ſincero atque integro animo eſſe, vt ſi totum hoc negotium eligendi Pontificis eius iudicio relinquatur, non grauiſsimè ſit offenſurus. Quare ſic accedas velim ad precandum Deum, quaſi certum periculum immineat, ne propter priuatas noſtras cupiditates & ſtudia, niſi diuina ope atque præſidio adiuti erimus, nihil omnino facturi ſimus, quod ad Dei honorem, & communem Eccleſiæ vtilitatem interſit. Hîc igitur ardentes precum faces ad Deum Patrem nobis emittendæ erunt, vt pro illa ſua immenſa miſericordia, qua voluit eiuſmodi apud homines officium inſtituere, quod omnium ſaluti conſuleret: talem etiam hominem ipſe eligat, qui illud ex eius miſericordia, quam erga nos declarauit in vnigenitò Filio ſuo ac ſempiterno Sacerdote, non ex iuſtitia, quam pro peccatis noſtris me-

remur,

remur, exequatur. Sic autem puriſſimo ſanguine eiuſdem Filij ſui maculas prauarum affectionum noſtrarum eluat, vt nihil præter eius honorem, & communem Eccleſiæ ſalutem ante oculos propoſitum habeamus. Hac mente inter orandum perpetuò te eſſe cupio, & ita de nobis omnibus iudicare. Perfecta verò precatione, ſi quem videris abs te diſſentientem in eo quod tibi optimum videatur, tamen cauendum maximè tibi erit, nè propterea male de illo exiſtimes, néue iudices, illum ſtudio aliquo aut perturbatione animi, ne tecum ſentiat, ſeduci: ſed hoc potius exiſtimes velim, ea vnumquemque ſequi, quæ ſibi optima videántur, nec animi cuiuſquam te iudicem conſtituas, ſed ipſi Deo, qui ſolus eſt ſcrutator cordium, omne iudicium relinquas.

VRBIN. Si me dimitteres, vel hoc vno documento tradito, quod & neceſ-

neceſsitatem orandi,& modum oſtendit: ſatis quidem me ad hoc ipſum negotium, quod in manibus maximum habemus, inſtructum putarem. Quare inprimis dabo operam, vt pro tuo conſilio & doctrina id exequar. Cætera autem, quæ & multa ſanè, & præclara de vi & poteſtate ſummi Pontificatus à te diſputata ſunt, etſi nondum me planè didiciſſe affirmare audeo: tamen ea mecum ſic meditabor, vt cùm locus & tempus maiorem tibi facultatem dabit eadem mihi diſtinctius explicandi (quod quidem te libenter facturum confido) haud negligentem me auditorem intelliges.

POLVS. Quò ſæpius eiſdem de rebus conferes cum hominibus in hoc literarum genere verſatis atque eruditis, quorum tibi copia hinc egreſſo non deerit, eò melius rem & cognitu digniſsimam, & noſtri Ordinis hominibus maximè neceſſariam intelliges.

Si quid

Si quid autem in hoc ſermone à me dictum ſit, quod piorum hominum iudicio aliqua ex parte ſatisfacere poſſit (qui quidem mea ſponte nihil vnquam dicere velim, quod non maximè cum ipſius Eccleſiæ ſenſu, & eorum qui pietatis & doctrinæ laude præſtát, iudicio congruat) id totum illi Magiſtro, qui vnus dignus eſt hoc honoris nomine, acceptum referes, & illi gratias ages.

VRBIN. Equidem (vt ſpero) ſic perpetuò faciam : nunc autem ingentes illi gratias ago, quôd talem tali tempore in eiuſmodi cauſa mihi hypodidaſcalum dederit, ſemperq́;, quoad viuam, habebo.

FINIS.

Index Capitum, in quo ſin- gula totius Libri argumenta enu- merantur, ac facilè inue- niendâ oſtendun- tur.

Cap.1. Præfatio, cũ inuocatione Chriſti, qui eſt Pontifex in æternum. Fol.1.

Cap.2. Chriſtum, quatenus Deus eſt, Vicario in terris non indigere: at quatenus homo eſt, Vicarium ſibi ſuffeciſſe.3

Cap.3. Petrum primum fuiſſe Chriſti in terris Vicarium, Scripturarum ex Matthæo & Luca teſtimonijs confirmatur. 4.

Cap.4. Conſuetudinẽ & vſum Eccleſiæ, optimum verborum Chriſti interpretem explicare, quomodo Petrus in fide confirmârit fratres ſuos, quo nomine propriè Epiſcopi & Paſtores intelliguntur. 8.

Cap.5. De Primatu Petri ex Euangelio

gelio Ioannis. 10.

Cap.6. Quòd euentum rerum & conſuetudinem Eccleſiæ attendens, dubitare non poßit de voluntate Chriſti in vno Paſtore conſtituendo qui ſuam perſonam in terris referret. 13.

Cap.7. Quantum ſummus Paſtor, qui Chriſti perſonam gerit, quod ad munus paſcendi attinet, cæteris omnibus, qui vllo vnquam tempore nominati ſunt Paſtores, ſiue Reges, ſiue Sacerdotes ij fuerint, dignitate antecellat. 15.

Cap.8. Petrum Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt veluti nauis, primum gubernatorem propriè vocari non poſſe, ſed primum miniſtrum & Vicarium ſummi gubernatoris. Item, Vicarium Chriſti eſſe miniſtrū miſericordiæ: Reges autem iuſtitiæ potius, quàm miſericordiæ. 18.

Cap.9. Quomodo Chriſti Vicarius, qui omnibus principibus honore & poteſtate antecellat, eorum miniſter ſit & ſeruus, explicatur exemplo gubernatoris nauis.

nauis, Medici, patrisfamiliâs, & ipſius Chriſti. 20.

Cap. 10. Qui ad ſeſe regendum vix poteſt ſufficere, quo pacto idonea ſit eius cura & opera tot alijs regendis. 22.

Cap. 11. Chriſtus Vicario ſuo tribuẽs regni cœlorum claues, hunc finem ei propoſuit, vt populum eius fidei commiſſum in cœlum ducat ad ſe verum regem. 23.

Cap. 12. Chriſti amor omne genus amoris in ſe continet, & omnem rectè paſcendi Gregis rationem oſtendit eius Vicario: qui rectè Pater beatiſſimus ac ſanctiſſimus nominatur, eo ſenſu quo Chriſtus Pater futuri ſeculi. 25.

Cap. 13. Laudes Chriſti Paſtoris præcipuè contineri verbis Eſaiæ: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius: & ijs quæ ſequuntur. 27.

Cap. 14. Quomodo Vicarius Chriſti Chriſtum imitari poſſit & debeat in titulo paruuli. 29.

Cap.15. Quo pacto imitari Chriſtum poſsit & debeat in titulo filij. 33.

Cap. 16. Quando Vicarius Chriſti principatum ferat ſuper humerũ ſuũ. 34.

Cap.17. Quomodo Chriſtum imitãdo admirabilis & magni conſilij Angelus dici poſsit. 38.

Cap.18. Qui Domini ſui formam exprimere vult in præclaris titulis qui apud Prophetam ſequuntur, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, & Princeps pacis: is nullo tempore negligere debet titulos præcedentes, qui horum ſunt quaſi fundamentum & radix. 46.

Cap.19. Explicantur tituli Chriſti, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi & Princeps pacis: item quomodo Vicarius Chriſti in his Dominum ſuum referre debeat: ac potiſsimum in poſtremo, qui eſt Princeps pacis. 50.

Cap.20. Petri ſucceſſores, quorũ nullus hactenus fuit hæreticus, his omnibus pacis principes fuerunt, qui Dei mãdata

per eos fideliter acceperunt, qualeſcunq; in cæteris eorũ perſonæ extiterint. 57.
Cap. 21. Quod ſequitur in Eſaia: Et pacis nõ erit finis: id referendum eſſe ad regnũ Chriſti & cæleſte & terrenũ. 59.
Cap. 22. In ſolio Dauid Chriſtum ſediſſe, & Vicariis ſuis vt in eodem ſederent conceſſiſſe. 61.
Cap. 23. Vbinam ſit vera & propria ſedes Vicarii Chriſti. &, quodnam ſit proprium Chriſti regnum. 64.
Cap. 24. Quomodo in Apoſtolos & ſummos pontifices cõueniat illud Eſaiæ: ſuper regnũ eius ſedebit, vt cõfirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia. 66.
Cap. 25. Auſteritas violentaq; gubernandi ratio improbata, adhuc veteri tabernaculo ſtante, & manu Dei ad flagellandum extẽta, minus grata eſt Deo, cùm is manum in ſinum reduxerit, vt inde proferat amoris & benignitatis theſauros. 73.
Cap. 26. Paſtor non debet eſſe manſuetus

ſuetus & clemens erga ſuperbos & contumaces : hoc eſt enim inſignis crudelitas: in ligando tamen & damnando ſemper debet miſericordia exaltare iudicium, ſic vt potius medicinæ quã ruinæ loco ſit ipſa damnationis ſententia, etiã illa quæ tradit hominem Sathanæ. 75.

Cap.27. Populus acerbum aut malum paſtorem habens, iuſtè ſe talem pati confiteatur, & humiliter ſupplicet dari ſibi paſtorem ſecundùm cor Dei. 77.

Cap.28. Boni Paſtoris electionẽ magis à Zelo Dei quàm ex humano iudicio pendêre. &, cur quò quiſque vita & moribus ad Chriſti ſimilitudinem propius accedit, eò minus prudentum hominum iudicio ad Vicarij Chriſti munus gerendum aptus exiſtimetur. 79.

Cap.29. Quomodo vnus homo molem Imperij in totum orbem terrarum optimè ſuſtinere poſsit. 83.

Cap.30. Quò quis ſuam infirmitatẽ & imprudentiam magis agnoſcit, eò pro-

pinquior eſt fonti omnium bonorum, vt inde ſpiritu precum expeditiſsimũ modum hauriat. 89.

Cap.31. *Summatim repetit quæ hactenus dicta ſunt: & recenſet quæ dicenda reſtant.* 92.

Cap.32. *De vi & poteſtate ſummi Pontificis in Concilijs generalibus.* 95.

Cap.33. *Quid agendum eſſet, ſi Summus Pontifex ex Paſtore lupus efficeretur, & peccata eius ad perniciem vniuerſi Gregis pertinerent.* 102.

Cap.34. *De Generalium Conciliorum in corrigendis Romanorum Pontificum erroribus authoritate.* 105.

Cap.35. *Summũ Pontificem authoritatem ſuam apud Conciliũ tueri poſſe, ſi Decreta Conciliorum non patiatur infringi, niſi grauiſsimis maximeq́; neceſſarijs de cauſis.* 107.

Cap.36. *Conſcientiæ & iudicio ſummi Eccleſiæ Paſtoris relinquẽda eſt ratio diſpenſationum: quæ non minus neceſſariæ*

riæ ſunt Eccleſiæ, quàm ipſe Sol vniuerſo orbi. 109.
Cap. 37. De ſummi Pontificis iure & poteſtate in Reges & Imperatores. 110.
Cap. 38. Apud nullos ex toto grege Chriſti plus valere oportere authoritatem ſummi pōtificis, quā apud Reges. 113.
Cap. 39. Ad reformationem Eccleſiæ maiorem vim habere, quàm vllum Concilium vtcunque magnum, ſi ſummus pontifex ſuam authoritatem apud principes retineat, & ipſi eandem libenter ſuſtineant. 116.
Cap. 40. A Conſtantino ſe Chriſti Vicario ſubijciente multò illuſtrius confirmatum eſſe regnum Dauidis in iudicio & iuſtitia, quàm ab ipſo Salomone. 118.
Cap. 41. Filij Conſtantini, abruptis obedientiæ erga ſummum pontificē vinculis, quantū Imperiū labefactarint. 125.
Cap. 42. Quāta cum dignitatis ſuæ iniuria ſummi Pontifices ſe Regibus ſubmittant, & tempus in ſæcularibus conſumant.

ſumant. 127.

Cap. 43. *Quomodo Epiſcopis temporale dominium habentibus eius curam non liceat negligere.* 130.

Cap. 44. *Summum pontificem, ſi curam habet rerum temporalium, ſimilitudinem habere cum Chriſto deſcendēte de Cruce.* 132.

Cap. 45. *Summum pontificem non deſcendere de Cruce, ſed cum Cruce, quando neceſſitate coactus verſatur in procurandis rebus ciuilibus: Et quomodo ea neceſſitas ſit intelligenda.* 135.

Cap. 46. *Apoſtolos, quamuis eis principes & Ciuitates nō parêbant, perfectè tamen docuiſſe vim artis Ciuilis, ſiue politicæ.* 137.

Cap. 47. *Diuino conſilio adiectam eſſe pontificibus temporalem iuriſdictionem, quam Apoſtoli non habuerunt: & Imperatorum ac Regum ſubmiſſionem & obedientiam. Et, vtrumque in ſacra Scriptura prædictum videri.* 138.

INDEX.

Cap. 48. Petrum & Paulum nouæ vrbis Romæ fundamenta ieciſſe, imperante Nerone: & quòd leges veriùs dicendæ ſint fundamenta ciuitatum, quàm lapides, cùm ciuitates ſine muris ſtare poſsint, ſed non ſine legibus. 140.

Cap. 49. Apoſtolos veriùs ieciſſe nouæ Romæ fundamenta, quàm Conſtantinum, cùm Conſtantinopolin nouam Romam appellaret. Et, nulli Cæſarum aſcribendum eſſe, quòd Roma nunc vrbis veſtigiũ habeat, quòd imperet, quòd floreat, ſed ipſis Apoſtolis, ac præcipuè inuictæ illi Petræ, quæ eam contra omnes Aduerſariorum impetus ſuſtentat. 144.

Cap. 50. Reges nulla re magis lætari debere, quàm cùm vident maximè fulgere poteſtatem pontificiam, quæ Imperatoriæ tantum præſtat, quantum Sol Lunæ, & dies nocti. 146.

Cap. 51. Quid agendum ſit in Conclaui congregatis ad eligendum ſummũ Pontificem. 148.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Fol.	*Lin.*	*Lege.*
7.a	15	Chriſtum de communi
Ibid.b	3	explicent? Quod
9 b	6	cum hoc comparari
16 b.	6	ſeiungi vix poteſt, &c. & quiete curari
17 a	3	nihil tamen ab his
Ibid. b	3	futura ſignificent,
49 a	22	tueatur · hi ſunt
Ibid b	20	tantóque ſuauiores &c. fructus edituram;
52.a	3	habere oſtendet.
81 a	17	amotis aut ſuperatis
122.a	9	verò Epiſtola ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE